

WESTON (Elisabeth, Jane)

PARTHENICON (2901 vers)

Le texte a été établi à partir de l'édition, datant du début du XVIIème siècle, faite à Prague, chez Paulus Sessius.

(N.B. Un arobase, à gauche du titre, indique qu'il s'agit d'une pièce adressée à E. J. Weston (ou à l'un de ses amis par un autre poète).)

PARTHENICÔN ELISABETHAE IOANNAE WESTONIAE,

Virginis nobilissimae, poetriae florentissimae,
linguarum plurimarum peritissimae

LIBER I

AD DIVUM RUDOLPHUM II.
INVICTISSIMUM ROMANORUM IMPERATOREM CLEMENTISSIMUM

P1_01 v.1 Ut Deus in caelis libamina sacra clientum
 2 suscipit, et placide munera parva capit ;
 3 sic Deus in terris Caesar, cui sidera rident,
 4 Westoniae servas suscipe primitias.
 5 Si solet auxilium differre Jehova roganti
 6 saepius, ut mage sit nostra probata fides :
 7 spero ; nec addubito, quin post tot vota, salutem
 8 nunc, o nunc parili tu ratione feres.
 9 Ut Deus in caelis bonus est, precibusque movetur ;
 10 sic mea, dive, tua spes requiescit ope.
 11 Ergo tibi, Patri Patriae, mundique Monarchae,
 12 Ingenii fetus, munera prima, dico.
 13 Accipe fronte pia ; nec parvula rejice, Caesar :
 14 interdum parvis gratia magna subest.
 15 Exaudi miseram : tristem solare Camenam :
 16 adfer et optatam, qui potes, unus opem.

S. S. C. M.
humilima cliens Elisabetha Joh. West. virgo angla.

EIUSDEM SACRAE CAESARIAE, NEC NON HUNGARIAE, AC BOHEMIAE REGIAE MAIESTATI.

P1_02 v.1 Sis precor, Abdias meus, invictissime Caesar,
 2 magnus Alexander sis mihi, Caesar eris.
 3 Ille, suis dapibus centum servare Prophetas
 4 qui voluit, meriti praemia digna tulit.
 5 Hic, quando exiguum paupercula filia dotem
 6 orat, in orantem multa talenta locat.
 7 Caesar ut Augustus sua largus praemia Musis
 8 auxerat, Augusto nomine nomen habet.
 9 Sic, Caesar Rudolphe, meis alimenta benignus
 10 si Musis aperis, Caesare digna facis.
 11 Me tua, ne peream, clementia provida servet ;
 12 inque vadum insontem Gratia larga locet.
 13 Exaudita tibi sint vota, precesque rogantis,
 14 quae dat cum gemitu Virgo misella pio.
 15 Sic erit in reprobos felix victoria, Turcas :
 16 sic augustus eris : sic benedictus eris.

INVICTISSIME AC POTENTISSIME CAESAR, DOMINE CLEMENTISSIME.

P1_03 v.1 Maesta prius querulo quam plectra sonore resumam,
 2 nostra tibi fatur chartula, Caesar, ave.
 3 Caesar ave ; et tandem votivos accipe questus ;
 4 quos gemibunda dabit voce tremente cliens.
 5 Nam nisi me audieris Caesar, nostrive misertus
 6 ni fueris ; non spes amplius ulla patet.
 7 Ut facies terrae languet, cum Phoebus aquosis
 8 nubibus involvit se, radiosque tegit ;
 9 sic miserae divi nos vultu Caesaris orbae
 10 angimur, et nigris opprimimur tenebris.
 11 Tu mihi sol Caesar ; sed dum tua lumina condis,
 12 quae mihi subsidii spesve salutis erit ?
 13 Respice nos humiles, invicta monarcha, ministras,
 14 ut te respiciat, qui videt omne, Deus.
 15 Quae tulimus, non sunt versu memoranda Maronis :
 16 restat adhuc gemitus, res et egena domi.
 17 Pauperies aliquot fecit didicisse per annos
 18 esuriem, curas, frigora acerba, sitim.
 19 Et quod adhuc inopes vitali vescimur aura ;
 20 mutuat id nobis, datque aliena manus.
 21 Ergo fer auxilium miseris mitissime Caesar :
 22 et nos semineces eripe, quaeso, neci.
 23 Ne tua se bonitas, ne lux tam clara recondat :
 24 sed mihi per tenebras luceat illa meas.
 25 Paupertate gemo matris, quae tristia natae
 26 fata dolet : saevus crescit utrumque dolor.
 27 Di melius nobis finirent morte dolores ;
 28 quam vita indignis sit superata malis.
 29 Effice demptorum sit portio tanta bonorum

30 reddita, quae miseris sufficienter alat.
 31 Aut tantum largire tua bonitate misellis ;
 32 quo gravior fugiat tot mala nostra fames ;
 33 ne peream, ne desperem, ne mater inani
 34 spe frustrata, neci praeda petita cadat.
 35 Quod facies Caesar : sic reddet fenore multo,
 36 conferet et vitae tempora sera, Deus ;
 37 mitis ut es cunctis, ita sis cum virgo precatur
 38 orphana : fac viduae damna nociva leves.

EIDEM.

P1_04 v.1 Per tua sceptrta Themis rogar augstissime Caesar,
 2 ut miseram misera cum genitrice juves :
 3 hactenus ingemino gravibus mea vota querelis :
 4 nosce tua nostras pro bonitate preces.
 5 Sic deus imperium plures firmabit in annos :
 6 sic ausus facilis provehet ille tuos.
 7 Tu modo, quod spondes, re praesta Caesar : egenae
 8 virginis instituas damna levare. Vale.

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI PETRO WOCK A ROSENBERG
 AC MECANENATI SUO GRATIOSISSIMO.

P1_05 v.1 Inter minora sidera
 2 qualis refulget Cynthia,
 3 quum nox lacescit horridum
 4 Morphei redux insomnium :
 5 talis dynastas emicas
 6 inter, jubar late explicas
 7 virtute, Princeps inclute,
 8 o Petre flos virens rosae !
 9 Sacri efficace Numinis
 10 ardes amore ; litteris
 11 clemens faves : patronus es
 12 egentium inter divites.
 13 Te liberalem in hospites
 14 cum fratre jure dicerem :
 15 meo parenti indulseras
 16 possessiones liberas ;
 17 quas Livor immerentibus
 18 rabidis refrendens dentibus,
 19 (o fata) tollens, pauperes
 20 coegit esse flebiles.
 21 In rebus his est innocens
 22 Caesar ; malus nocet, docens
 23 nostri fame aeris. Numinis
 24 vindicta summi noveris !
 25 Sed cum modo, illustrissime
 26 Princeps, referri commodae
 27 pro liberali pectore
 28 sat vix queant tibi gratiae :

29 cum matre id unicum precor,
 30 ut exigas nostri memor
 31 annos tuos ; sed suaviter,
 32 vivas Deo, prece gnaviter.
 33 Ut hoc solutus corpore,
 34 pertaesus hujus saeculi,
 35 durante laudis adorea,
 36 petas beatus sidera.

ILLUSTRI AC GENEROSISS. HEROI, AC DNO SDENKONI ADELBERTO POPPL.
 DE LOBKOWITZ IN CLUMNITZ, ET GISTEBNITZ
 SAC. CAES. MAJEST. CONSIL. AC S. R. BOHEMIAE CANCELL. SUPR.
 DNO. SUO CLEMENTI AC BENIGNO.

P1_06 v.1 Forte quid hoc, dices ? Quod virgo carmina mittat,
 2 o lux Poppeliae non moritura domus :
 3 da veniam facilis : pietas hoc jussit ; et omni
 4 quam colis officii munere, sancta Themis.
 5 Pauperis ergo manu clementi carmina sume
 6 virginis, et numeris perge favere meis.
 7 Non ego vulgarem quaero mihi carmine plausum ;
 8 non abs te posco munera larga mihi.
 9 Ne miseram vidua patiaris matre pueram,
 10 quod queror, indigni mole perire mali.
 11 Non injusta peto : causam modo respice nostram,
 12 dixeris insolentes nos mala tanta pati.
 13 Nec tibi major erit virtus et gloria, quam si
 14 clementi miseras pro bonitate juves.
 15 Jam dudum nobis justissima Caesaris aula
 16 ut favet, auxilium sic quoque ferre jubet.
 17 Tu modo Maecenas sis nobis praesto, jubeque
 18 pars de distractis detur ut aequa bonis.
 19 Sic tibi succedant feliciter omnia : perstet
 20 sic e consiliis Caesaris aula tuis.

NATALIBUS ILLUSTRIS AC MAGCI. HENRICI DE PISNITZ IN HERTENBERG
 ET SCHOENBACH SAC. CAES. MAIEST. CONSIL. AC S. R. VICECANCELL. :
 DOMINI ET PATRONI SUI COLENDISSLIMI.

P1_07 v.1 Ter quatterna diem, reducis lux prodit Iuli,
 2 quae nomen celebrat magne Patrone tuum.
 3 Quid faciam ? Quae vota novo nova carmine dicam ?
 4 Aut quae de veteri vincula more feram ?
 5 Sum devincta tibi propter benefacta. Resumpsi
 6 ergo iterum ad resonas plectra lyramque manus.
 7 His mihi vinctus eris, nec demam vincula, donec
 8 mi referas ; tutor, virgo, manebo tuus.
 9 Sed, ni fallor, ais : cesset dubitatio : cesset
 10 maeror, ego insolentem, qui tueatur, ero.
 11 Ergo Deum precibus, meritis superata, rogabo :
 12 ut mihi, ut et multis te superesse sinat.
 13 Quo patriae prosis, et rerum publica cures

14 commoda ; pupillos quo tueare tuos.
 15 Non tibi livor edax, qui carpit honesta, nocebit :
 16 sed virtus salva te pietate teget.
 17 Haec ego vota Deo toties sollemnia solvam,
 18 natalis quoties lux redditura tibi.
 19 Saepius ut remeet felici sidere supplex
 20 ante Deum socia cum genetrice precor.

AD EUNDEM, DE DIE S. ELISABETHAE.

P1_08 v.1 Lux hodierna mihi fulsit, patrone ; quid ergo
 2 hospitibus ponis fercula lauta meis ?
 3 Apposito solvis Baccho mea vincla ; solutam
 4 suscips et tecum more parentis agis.
 5 Jure tuo perago grates, tu munera promis
 6 jure meo ; imparibus das, capioque modis.
 7 O tibi natalis fausto tuus aethere currat
 8 saepius, et faciat nos meminisse tui !
 9 Sic pia sit conjunx longos in Nestoris annos
 10 salva, diu valeant pignora cara tori.
 11 His etiam, nostri memores quos nominis esse
 12 convivas video, fata benigna precor.
 13 Si res arta sinat, proprio nunc aere pararem
 14 pocula, magnificas instrueremque dapes.
 15 Sed fortuna meam siquidem rapit invida sortem,
 16 alterius vivo (quam patienter !) ope.
 17 Hinc quia sum nodis aliorum libera, per te
 18 vincita tibi meritis fio, patrone, tuis.

ILLUSTRI VIRO DNO. JOANNI BARVITIO ICTO : JURA CONSULTO S.C. MATIS

P1_09 v.1 Desine mirari, tua quod, vir magne, frequentat
 2 limina, nata (eheu !) matris egentis egens :
 3 nos pietas, nos sacra Themis, nos Phoebus, et ipsae
 4 cum Musis Charites dicere pauca jubent.
 5 Tu modo, quod solitus, miseras ne despice, causam
 6 suscipiens ; justam quam Themis ipsa docet.
 7 Dispereat, perdatque suum, mala causa, patronum :
 8 et confusa malo probra rubore ferat.
 9 At Deus est testis, mens aequi et conscientia recti
 10 prodiderit ; nos haec non nisi justa queri.
 11 Accipe, pauca loquar : tibi plura negotia jussu
 12 Caesaris, in partes pectora fessa trahunt.
 13 Orba parente gemo : genetrix viduata marito
 14 ingemit, ereptis, vi superante, bonis.
 15 Si causam quaeris, nulla est : nec juris et aequi
 16 regula nos dicet criminis esse reas.
 17 Livor, et usa suis vesana Calumnia technis,
 18 ut nocuere Patri, sic nocuere mihi.
 19 Singula non novit Caesar : sub nomine quamvis
 20 Caesareo passim multa patrata vides.
 21 Vendita sunt vili pretio bona nostra ; nec inde,
 22 quae jus promittit, sunt alimenta mihi.

23 Ultra dimidium pretii si laeditur insons,
 24 reddere laedentes jure tenentur idem.
 25 Aera aliena quidem praetendit callidus hostis :
 26 sed reliquum pretii qua mihi lege negat ?
 27 Nec satis est bona defuncti rapuisse parentis :
 28 propria sed Matris sunt bona rapta meae.
 29 Nescit idem Caesar, cuius clementia nostram
 30 pectore condoluit commiserante vicem.
 31 Et mandata dedit, ne justum injuria mergat :
 32 verum aequa maneat lance cuique suum.
 33 Est audita quidem justissima causa ; sed illa
 34 jam latet : effectu mortua paene suo.
 35 O quoties precibus nos sollicitavimus aulam,
 36 quaerentes causae mite patrocinium ?
 37 Judicium longas et adhuc differtur in horas !
 38 Hoc queror, hoc mater nempe relicta dolet.
 39 Interea miseras adeo nos urget egestas,
 40 (ignoscere lacrimis, vir generose, meis)
 41 ut te suspenso cogamur adire pudore,
 42 nostraque praesidio credere jura tuo.
 43 Nam te justitiae memorem, verique tenacem,
 44 jamdudum nobis fama probata refert.
 45 Ergo juva miseras, et justam respice causam,
 46 sic tibi de supera faverit arce Deus.
 47 Caesaris ah leni mentem, refer omnia, certum est,
 48 te curante suum pondus habere preces.
 49 Quod decet, aequa bonis, de nostris portio detur,
 50 quae nunc nescio quo nomine Sector habet.
 51 Aut ubi sit pretium, dicat : cui solverit emptor :
 52 et fiat, quod fas, quod pia jura volunt.
 53 Caesaris efficiat placido clementia vultu,
 54 ne nos pauperies invidiosa necet.
 55 Haec res grata Deo est : homo idem pius expetit, ecquis
 56 invideat, viduos si fovet aula lares ?
 57 Ni nunc eveniet, quod jura, vel ordinat aula ;
 58 ni dabitur querulis quod dare jura jubent :
 59 nos lacrimas inter solacia nulla videntes,
 60 cogimur infami disperiisse fame.
 61 Sed qui justa probas, qui causam pauperis audis,
 62 incluta Barvitiae gloria flosque domus :
 63 deprecor, auxilium fer justa rogantibus, et te
 64 sic numquam poterit deseruisse Deus.

AD EUNDEM

P1_010 v.1 Hanc tibi, Barviti, mittit mea carta salutem,
 2 Virgineaque offert tristius artis opus.
 3 Quid cupiam, quaeris ? Justam ad te defero causam ;
 4 et patrocinium quaero puella tuum.
 5 Visa tibi sunt, lecta tibi, tibi cognita facta,
 6 exaudita tibi sunt mea vota quidem :
 7 non minus immeritam tamen anxia perfero sortem,
 8 urgemur propriis nempe carere bonis.
 9 Sunt homines, quos Musa suo tibi tempore pandet ;

10 qui rapiunt nobis, quae superesse vident.
 11 Siccine cum viduis agitur ? Tu singula lustrans,
 12 o Deus, an poteris tot mala ferre diu ?
 13 Ah, natam cum matre polo transpone : malorum
 14 sistat ut optatum mors properata modum.
 15 Redde meum, qui justa probas, justissime Jova ;
 16 signaque justitiae da manifesta tuae.
 17 Caesaris et mentem sic ad mea vota gubernar,
 18 ut placido tandem pectore praestet opem.
 19 Quod dare constituit miseris, cito conferat. Ecce !
 20 Jam fracta ex nimio membra dolore labant.
 21 Haec ego quid frustra sic turbida conqueror ? Audi
 22 fautor o incepti portus et aura mei.
 23 Pisnitius tibi non deerit ; qui nutrit egentes,
 24 et studet officio damna levare suo.
 25 Tu modo sume animum, tuque hoc fac Caesari apertum,
 26 ut ferat invictam commiseratus opem.
 27 Quis jubeat differre ? Dies labuntur et anni ;
 28 post sua quis grates reddere fata queat ?
 29 Viva tibi vivo fundam modulamina, causam
 30 tu modo susceptam, qua potes arte, juva.
 31 Sed quid ego addubito ! Mihi de te spero salutem
 32 et dico : Caesar judicat aequa. Vale.

EIDEM

P1_011 v.1 Perlegat haec Caesar Barviti scripta, rogamus :
 2 augustum miseris auxiliumque ferat.
 3 Sic Deus in rebus tibi tristibus applicet aures,
 4 spondeat et votis prospera fata tuis.

EIDEM

P1_012 v.1 Dum queror, et tristem Barviti consecro causam,
 2 virgo tibi, precibus tu sinis esse locum.
 3 Quae loquor, ingenua sic accipis omnia mente,
 4 ut credam ob gemitus te doluisse meos.
 5 Quin etiam sperata diu solamina dicis,
 6 et das pollicitis congrua signa tuis.
 7 Caesar enim, quod ais, mea damna levabit abunde,
 8 et faciet, voti compos ut esse queam :
 9 jam mandata dedit Sternbergio ; et ille dolentem
 10 discussis hilarem luctibus esse jubet.
 11 Ergo, quid est causae, quod spe solata relinquor ?
 12 Cur differt aliis, quod dare Caesar avet ?
 13 Tu nisi Barviti mandatum Caesaris urges,
 14 vix jussam (o jubeas) experiemur opem.
 15 Tolle moras, quicumque mihi differre videris
 16 Caesaris auxilii robora ; tolle moras :
 17 si, mea quae patitur genetrix, tibi fata precarer ;
 18 sentires, quid sit, quam grave, ferre famem.

IN HORTOS EIUSDEM.

P1_013 v.1 Hortus odoratis hic est cultissimus herbis,
 2 Barviti assidua cultus, et altus ope.
 3 Hic, quoties lassum te Caesaris aula remittit,
 4 a curis relevas pectora fessa tuis.
 5 Hic locus est fidis etiam concessus amicis ;
 6 hic datur aspectu colloquioque frui.
 7 Hic audire preces viduarum, et vota clientum
 8 suscipere, innata pro bonitate, soles.
 9 Sic Domino servit decoratus floribus hortus :
 10 atque horti Dominus gaudet honore sui.
 11 Quid precer huic igitur ? Ne vel Zephyritida Cauri
 12 aut Euri rabies impetuosa fuget.
 13 Sed vireat variis ita fructibus, atque quotannis
 14 suppeditet Domino munera grata suo.
 15 Quidve precer Domino ? Ne laedat livor in aula ;
 16 virtuti semper qui comes esse solet.

NOBILIS. AC CHORO VIRTUTUM ORNATISS. JUVENIS DN. GUILHELMI FRIDERICI, A PISNITZ,
 LUCEM RECOLENTIS NATALITIAM, GENIO GRATATARU.

(pièce en acrostiche)

P1_014 v.1 **G**ratulor Aonidum tibi dulcis alumne dearum
 2 **V**ersiculis, libro carminis apte cani.
 3 **L**aeta quod effulsit lux, quae te primitus aura
 4 **I**mbuit : hic usus nominis unde tibi.
 5 **E**t primogenitus matrique patrique tulisti
 6 Luce tua, geruli gaudia prima tori.
 7 **M**aximus ut natu fratrum es, sic moribus omnes,
 8 **V**irtute, ingenio, sic pietate praeis.
 9 **S**ed nec ego his tua solius natalia canto
 10 **F**esta, quod et tecum sit dea nata duplex.
 11 **R**espice ; si dubitas, aut Divas nosse laboras ;
 12 **E**n faciunt, Pietas cum gravitate duas !
 13 **D**igna viro facies juvenilibus additur annis ;
 14 **E**t sine laudanda nil pietate geris.
 15 **R**espicis ad magni laudes genitoris avitas,
 16 **I**ncedens patrio stirps generosa gradu !
 17 **C**andor inest illi, matrique poemate major :
 18 **V**elle tuum tantum est, quos imiteris habes.
 19 **S**is facilis, facilem sed te natura serenat ;
 20 **D**e patrioque nequis flectere calle pedem.
 21 **E**rgo age virtutis succresce propago, domusque
 22 **P**atriciae, Pylios enumerando dies.
 23 **I**nter totque dies, non curis canus, at annis
 24 **S**iderii properes serus ad astra poli.
 25 **N**unc cape, non quod Musa queat, nam vincula tantum
 26 **I**sta tibi tenui fert, Gulielme, metro.
 27 **T**u fac, ut ad me iterum pede vel tria verba recurrent :
 28 **S**ic mihi non vinctus, nec mihi victus eris.

AD EUNDEM.

P1_015 v.1 Munera, vota, chelyn, pulchro de flore corollas,
 2 quae tribuis, peragis, tendis, et ipse dicas :
 3 cuncta velut solida compagine nexa jugarunt
 4 pectora, quae grata mente, manuque fero,
 5 munera muneribus pensabo carmine carmen :
 6 proque piis votis mutua vota dabo.
 7 Pro lepidis referam bene olentia sertam corollis :
 8 hoc fuero nodis mora soluta tuis ?
 9 Firma tamen restent inter nos foedera amoris,
 10 quis Charitum Genio juncta caterva sumus.
 11 Ipsa tibi semper devota tuisque manebo ;
 12 si mihi constanter tu, Guilielme, faves.
 13 Utque faves, valeas ; salvi sint opto parentes,
 14 et soror, et frater, totaque salva domus.

EIDEM.

P1_016 v.1 Guilielme, salve nobilis ;
 2 patri salutem dic tuo,
 3 et fratribus simul tuis,
 4 valere quos tecum velim.
 5 Novensilum colas chorum
 6 et nesciam matris deam,
 7 perita quae te carmine,
 8 docebit horas fallere.
 9 Plectrum manu frequens tua,
 10 et ungue sint motae fides :
 11 et ora melleus lepor
 12 decebit, et nervos decor.
 13 His tempus ordines tuum,
 14 his turpe frenes otium,
 15 elimines ignaviam
 16 ditis Megaeraeque hospitam.
 17 Molestiarum molibus
 18 neu parce, nec laboribus.
 19 Labore dum gemis probo,
 20 gaude imminentे praemio.
 21 Indulseris si lusibus,
 22 jocisque curta temporum
 23 momenta donaris, merum
 24 te paenitere manserit ;
 25 ergo licet vel lineae
 26 paucae tuo restent lucro ;
 27 sollertiae tamen suaे
 28 vestigium locaverint :
 29 seu quaeris herbas florido
 30 cubans humi rosario ;
 31 seu forte vires arguis
 32 florum, vel ipsos colligis.
 33 Sic, si implicatarum amites
 34 avium fatigent agmina,
 35 aut comminus canum in feras
 36 est impetus per devium.

37 Quin et datus Martiis
 38 parata telis brachia,
 39 idem tibi negotium
 40 exterminabit otium.
 41 Quicquid capis, quicquid cupis,
 42 laboriosas cogita
 43 Musas, capis sic, quod cupis :
 44 rei usque sunt accommodae.
 45 Gulielme, parce, te rogo,
 46 quod impolita carminis
 47 inusitati mi hactenus
 48 tibi loquatur Pieris.
 49 Apollo jussit illice
 50 me thyrso, amabiles palam
 51 his incitare versibus,
 52 monent Sorores et Charis.
 53 Audaciae culpam meae
 54 Gulielme, lenis accipe :
 55 sincera quod mens obtulit,
 56 interpretere mitius.
 57 Vale, vale, valeat pater
 58 carissimus : felix domum
 59 redi tuis cum fratribus :
 60 quod caelitus faxit Deus.

NOBILI ET DOCTO ADOLESCENTI DN. IOHANNI HENRICO DE PISNITZ.

P1_017 v.1 Nescit adhuc metrico valedicere Musa labori,
 2 sed causam, salve, cur iteretur, amat.
 3 Nam tibi, quae regnat mansueto in pectore virtus,
 4 non facile immemores nos sinit esse tui.
 5 Insitae enim quadam virtutis imagine fulges :
 6 omine nec vano nomina patris habes.
 7 Nunc igitur dotes Musarum fructibus orna ;
 8 sit natura tibi cultior artis ope.
 9 Nempe novenales maneant tua cura Sorores :
 10 sic te Phoebus amet, sic tibi praesto Charis.
 11 Juridicis Clarias studiis conjunge puellas :
 12 sic magnae facies utilitatis opus.
 13 Nulla dies abeat, quae non toleranda laboris
 14 signa habeat : ponet Pieris illa tibi.
 15 Omnia si pereant, solas remanere Camenas
 16 novimus : hae superis terrigenisque placent.
 17 Ergo suprema tibi sint Musae, Henrice, voluptas.
 18 Diisque tuis faciant te superesse diu.
 19 Sed quid agas, moneo te pauca referre vicissim ?
 20 Ecquid agunt fratres ? Quid pater ? Anne valent ?

AD MAGNIFICUM NEC NON NOBILISSIMUM VIRUM DN. NICOLAUM MAJUM,
 sac. Caes. in regia appellationum curia, consiliarium
 ac tum supr. vallis joachimicae praefectum ;
 amicum sibi patris instar colendum.

P1_018 v.1 Nominibus quod, Maje, meis tot jungis honores,
 2 et mihi plus tribuis, quam tribuisse decet ;
 3 quod tua Musa gravi tenues Epigrammate laudes
 4 evehit, atque operas quid putat esse meas ;
 5 quid referam ? Vel quo me denique munere gratam
 6 exhibeam meritis dic mihi, Maje, tuis ?
 7 Ut sim grata quidem me virtus excitat in te,
 8 me Musae, quod idem Phoebus Apollo probat.
 9 Nescio quid faciam cum Musa negata mihi sit ;
 10 Musaque Castalio cassa liquore gemat.
 11 Nec mirum, rarumve, mihi si fluminis expers
 12 Aonii, aeternum patria fata fleat.
 13 Namque ea vix Clariis libarat munera Nymphis ;
 14 nec pede Pegasiam tum penetrarat humum ;
 15 cum carum perimendo mihi patremque magistrumque
 16 impediere gradus invida fata meos.
 17 Unde dolor tenerum surgentis germen alumnae
 18 reprimit, et pressum surgere ad alta vetat.
 19 Jam tolerare vices fortunae, ictusque protervos
 20 invidiae, et legum jurgia docta pati !
 21 Fata dies demunt inimica : renuntio Divis ;
 22 quae gaudent hilari sede, quiete vigent.
 23 Sed dolor ambages fugat (o sors invida coeptum
 24 sic inhibes ? Inhibe ; meque perire sine !)
 25 Limine desieram : sic haereo limine ; Musa
 26 principio, ut medio, sic quoque fine caret.
 27 Nominis ergo tui qui digne encomia inepto
 28 aggredier, celebris carmine, Maje, queam ?
 29 Id faciant Helicona quibus sua Pallas amoenum
 30 pandit, et Aonio dat latitare solo :
 31 vel quibus auricomus placato numine Phoebus
 32 plena Novensilibus vasa propinat aquis :
 33 et quos fata beant ; quibus omni congrua vota
 34 tempora sunt vitae prosperiora magis.
 35 Ne tamen e multis taceam : tua nomina flectet
 36 (parce precor) rudibus rustica avena notis.
 37 Quo se Musa prius divertat, nescio : tot sunt
 38 membra tuae laudis materiaeque penus !
 39 Seu genus extollam egregium, proavosque celebres
 40 ordine commemorem, sic glomeremque decus ?
 41 Haec aliena puto, peregrino parta labore,
 42 tu gemina duplicas nobilitate genus.
 43 Gazas, rura, greges, monimentum, tecta, tapetes ;
 44 aut Semeles puerum, te Cereremve canam ?
 45 Digna parum sunt haec, modicum mansura per aevum :
 46 at virtute tua, Maje, superstes eris.
 47 Nec Themidos repetam, divinae aut Pallados artes :
 48 Phoebus enim propria te movet ipse lyra.
 49 Immo nec ulla fere, qua virtus prominet, ars est ;
 50 quae non in nitido pectore germen habet.
 51 Invasit penitas Pietas sincera medullas ;
 52 intima possedit candor, et ora lepor.
 53 Hae te virtutes dudum fecere beatum ;
 54 caelo aequant, ipsis assimilantque Diis :
 55 et tuus ut mensis (qui campis gramina reddit
 56 et picturato flore coronat humum)

57 totius apparet tempus pretiosius anni :
 58 cui merito primum jure canatur epos ;
 59 sic tu p[re] multis velut auro gemma nitescis,
 60 et velut astrifero stella corusca polo.
 61 Tu vere Majus : vernantis tempore Maji
 62 Flora tibi flores spiret honora suos.
 63 Quos neque frigoribus Boreas, neque Sirius aestu
 64 torret, ab aeterno veris honore rubent !
 65 Cetera grandiloquis mandat mea cura poetis
 66 grandia mi parvis sit tetigisse satis :
 67 nunc flore, ut floret Phoebo gratissima laurus,
 68 multaque victurum saecula nomen habe.
 69 Interea et miserae non immemor esse pueriae
 70 mavis ? Grata animo sint rata vota tuo.

AD EUMDEM, CUM PERICULOSO PRAGAE AFFLIGERETUR MORBO.

P1_019 v.1 Non equidem immerito miraris, candide Maje,
 2 et mea jure tuo Musa vocatur iners,
 3 quod raro calamos tractet, quod tempore tanto
 4 torpeat ; et scribat carmina nulla tibi.
 5 Non torpore tamen, sed maestis anxia, curis
 6 illa latet ; gemitu semisepulta suo.
 7 Aspice cum lumen Phoebi sit nube subactum,
 8 quam tristem tellus exhibeat faciem ?
 9 Quum regni Rector fatis agitatur iniquis,
 10 quam torquet populos anxia cura leves !
 11 Quando tremiscentem sors desperata senatum
 12 angit, quae cives sollicitudo premit ?
 13 Quis vetet Aonias Phoebo lugente sorores
 14 suspensis cytharis squalidiora sequi ?
 15 Cum mihi sis Phoebus, dic cum te dira fatiget
 16 febris, et hac Stygiae torreat umbra deae ;
 17 num tua suaviloquas spirabunt pectora Musas ?
 18 Num poteris numeris applicuisse fides ?
 19 Magnum opus, et labor est ; nec curant maesta Camenae ;
 20 nec luctu raptos dia poesis amat.
 21 Carmina tranquillo sribentem pectore quaerunt :
 22 at vere lyricum neglegit aeger opus.
 23 Haec mihi causa fuit, Musis haec causa rigoris :
 24 hac vivam amota, vivet et ipsa chelys.
 25 Tum demum calamos teretes, plectrumque reposcam ;
 26 gaudiaque erepto laeta dolore canam.
 27 Salve, vive, vale, plures, viridissime, in annos,
 28 Maje ; petas sero Candidus astra senex.

AD EUNDEM.

P1_020 v.1 Undique convolitent cum, floride Maje, poetae
 2 ut tibi gratentur carmine, voce, manu.
 3 Quid sileat mea Musa, quid haec lassata remittat
 4 bracchia, quid carmen differat, anne rogas ?
 5 Jure quidem, cum me tibi non studiosior ullus,
 6 aut magis observans debeat esse tui ;

7 scribere deberem, votis et jungere vota :
 8 cum pateat celebri gloria laude tibi.
 9 Sed timui tumidas nimium procedere ad undas ;
 10 et strepere inculta, Maje diserte, lyra.
 11 Attamen et medios inter caput exsero vates,
 12 laudibus, et meritis exhilarata tuis.
 13 Me virtutis amor vincit, timidumque pudorem
 14 ponere pro Phoebo casta Thalia monet.
 15 Ergo puellares reliquis intersere curis
 16 Pieridas, salva dum modo pace licet.
 17 Officiosa Deo pietas tibi pectore floret,
 18 unde Deo, unde tuis gratus es, unde meis.
 19 Ingenium laudem ? Proprio splendore refulget
 20 illud ; et exemplis clarius usque nitet.
 21 Majus es, ac ipso virtutem nomine complens
 22 majores magno vincis honore tuos.
 23 Est tua nota fides, rerum experientia, candor,
 24 qui fucum odisti, qui simulata negas.
 25 Odisti ex animo falsos, tibi hypocrita sordet,
 26 semper amans recti, non nisi justa probas.
 27 Hinc te Rudolphus Caesar, mundi ille Monarcha,
 28 praefecit mineris auriferisque vadis.
 29 Munera magna dedit ; titulis adjecit honorem ;
 30 teque a Consiliis nunc jubet esse suis.
 31 His igitur potiare bonis, frustraque fremente
 32 invidia ; facti praemia digna cape.

PAULLO MELISSO FRANCO,
 Equiti Aurato, Comiti Palatino, Civi Romano.

P1_021 v.1 Sic ego, si faveo, tibi nomen inesse probarim
 2 a morum et Musae fertilitate tuae.
 3 Namque lepore tuo me sic tibi jungis et unis,
 4 laurigenumque pio sic melos ore canis ;
 5 ut liquidis aluisse favis, melica ora putaris :
 6 hinc mihi das melos et mella Melisse simul.
 7 Carmina quando facis mira dulcedine ; lis est
 8 cum Nasone tibi, cumque Marone tibi.
 9 Graiugenae certant et tecum carmine vates :
 10 sed palmae tribuit praemia victa Chelys.
 11 Vive, Melisse, diu vatum Phoebique sacerdos,
 12 et bene ; ne noceat vespa maligna, vale.
 13 Nunc ego, nunc referam viridi pro daphnide grates :
 14 non jam pro lyricis, dive Poeta, favis.
 15 Cum mage me veniens numerosam effecerit aetas,
 16 et flarit votis lenior aura meis ;
 17 Musaque erit clario mea percita plenius oestro ;
 18 liba feram sacris, Phoebe diserte, tuis.
 19 Interea haec Franci censura admittit oloris ;
 20 sed Genio tanti conveniente viri.

EIDEM.

P1_022 v.1 Multa simul vidi quae divite pectore fundis
 2 carmina ; dici quantus, dici stupor ora tenet !
 3 Jure ego sic mecum (quis enim tam digna loquentem
 4 arguat ?) a primis vatibus, orsa, loquor.
 5 Plaudite Phoebicolae, nam nascitur alter Apollo ;
 6 Actiacam superat Musa Melissa lyram.
 7 Te stupeant, quotquot restant, sua numina Musae :
 8 o vir, o aetheria digne cohorte coli.

IN OBITUM EIUSDEM.

P1_023 v.1 Vix potero querulos cohibere puella dolores,
 2 ex obitus fama, magne Melisse, tui.
 3 Jam tibi responsum, jam metra petita parabam,
 4 festinant vultus ipsa videre tuos.
 5 Ecquid in hoc maestis jucundius orbe relictum est,
 6 quam tanti aspectus colloquiumque viri ?
 7 Te duce sperassem laudabile ludere carmen :
 8 et mea judicio subdere coepta tuo.
 9 Censor acutus eras in barbara saecula, vitae
 10 norma tuae, pietas unica semper erat.
 11 Quid deceat vatem ; quid spectet dia poesis,
 12 vel Clarias poteras erudiisse deas.
 13 Non ego versiculis, non metior aure poetam :
 14 versificatorem quaelibet hora facit.
 15 Flacce, tua blaterem venia : anne poetica solus
 16 est numerus ? Numerum quin magis ordo regit ?
 17 Ordinis articulos vis enthea concipit oestro,
 18 hinc mihi divinus, mente poeta vir est.
 19 Talis erat noster, vatum ille Monarcha Melissus,
 20 dignus ab extrema posteritate cani.
 21 Sed quia sordescunt, fatuo aurea carmina mundo ;
 22 atque ut rem potius gaudet habere Midas ;
 23 a superis merito translatus ad astra melodes,
 24 Angelicis adhibet dulcia plectra choris.
 25 Salve care Deo, flos pure Melisse Camenae :
 26 et cape Westoniae dona suprema tuae.
 27 Nominis illa tui memor ad pia busta quotannis,
 28 pro lauru violas, Attica serta, feret.

CHRISTOPHORO a BELVITZ, FRIDERICI
 comitis Palatini Rhen. Principis laudatiss. Consiliario Secretiori,
 et ad Rudolphum II. Rom. Imperatorem legato.

P1_024 v.1 Belvitiam solidis qui stirpem laudibus ornas,
 2 et qui de Christi nomine nomen habes,
 3 forte tuam, et merito tenet admiratio mentem,
 4 carmina quod mittam virgo legenda tibi.
 5 Neu mirere nimis virtus conjungere suevit
 6 absentes etiam, quos liquet esse bonos.
 7 Fama etenim nostras nuper suggestit in aures

8 Melpomenem vobis complacuisse meam.
 9 Teque dolere meos, pietatis amore, dolores
 10 quod cum matre bonis sim spoliata meis.
 11 Heu dolor ! Haec subeunt quoties tam tristia mentem ;
 12 in lacrimas toties tota soluta feror.
 13 Hinc certus grates tibi dicere Apollo paravit ;
 14 qui petit, hac, ut ames mente favere mihi.
 15 Paucula num cupis, ut moduletur Pieris ultra ?
 16 Melpomene querulas nil nisi triste sonat.
 17 Non mihi Terpsichores citharae, non fistula restat
 18 Euterpes : lessum nil lyra praeter habet.
 19 Naenia principium nostras, finisque Camenae :
 20 tales, non alios dat mea Musa modos.
 21 Melpomene causas parit ; adspiratque labori ;
 22 hujus ego o tragicae ducor alumna Deae !
 23 Nam soleo tantum lenire querendo dolorem,
 24 et gemere adversae tela sinistra Deae !
 25 Non spem subsidii mage, sed solamina luctus
 26 quaerens, do fatis consona verba meis.
 27 Tam quia crebra fuit, sine fruge querela, querenti ;
 28 ut minimum de spe vix superesse putem.
 29 Livor edax etenim prohibet mea vota tot, et tot :
 30 et steriles querulo reddit ab ore preces :
 31 surripuit nobis una Patremque Virumque,
 32 et bona furaci cuncta repente manu.
 33 Pauperiemque pati nunc illa tenente coegit
 34 hoste, cui levis est nostra ruina jocus.
 35 Heu, sumus insontes : fit aperta injuria nobis,
 36 rumor id immenso prodit in orbe nefas !
 37 Rumpere livor atrox, saevissima belua, quam nec
 38 sacra themis superat, nec timor ipse Dei.
 39 At tu nostra dolens mansueto pectore fata,
 40 Christophore, o generis gloria rara tui
 41 perpetuum eia novo cumulare favore favorem
 42 perge : tuoque mihi consilio affer opem.
 43 Sic ego Belvitiae pro gentis grata salute
 44 assidua feriam sidera summa prece.

Admodum reverendo in Christo Dno,
 DOMINO GEORGIO BARTHOLDO A BREITENBERG, METROP. ECCL. PRAGEN. PRAEPOSITO,
 FAUTORI SUO COLENDO.

P1_025 v.1 Quod pietatis opus praestas, quod divite nostras
 2 munere lacrimulas, pauperiemque levas,
 3 vir venerande Deo, et musis carissime, grates
 4 innumeris mecum Mater agit numeris.
 5 Credo Deum per te solacia ferre misellis ;
 6 inter ut aerumnas experiamur opem.
 7 Ergo palam patulum dicam tua facta per orbem,
 8 grataque pro meritis carmina semper erunt.
 9 Musicus insignis, patrium de Monte Philippus
 10 nomen habens, simili nos pietate fovet.
 11 Hinc benefactoris primas sibi vendicat ille :
 12 Pisnitius vero, ceu Pater, alter adest.

13 Tertius es nobis tu, vir venerande, patronus :
 14 dum fers pupillis auxiliator opem.
 15 O utinam quartus succedat in ordine Caesar :
 16 primus erit, reddet si bona adempta mihi.
 17 Id propriis exempta bonis mea mater, id unum
 18 optat : at o, quod jus, curia curet idem !
 19 Caesaris, ah, tandem subeat miseratio mentem,
 20 ut causam excutiat perspiciatque meam.
 21 Sic ego cum Musis, sic cum genetrice beatam
 22 dixero me : et pleno gaudia corde feram.
 23 Vive, valeque Deo et Musis gratissime Praesul ;
 24 nosque piis precibus, nosque favore juva.

AD NOBILISS ET EXCELLENTISS DN. PHILIPPUM DE MONTE,
 sac. Caes. mtis. capellae magistrum,
 musicum hoc nostro saeculo principem.

P1_026 v.1 Te quoque, cui nomen de Monte Philippe, Camenae
 2 jure tuo nostrae demeruisse volunt :
 3 sum meritis devincta tuis, tibi debeo multa,
 4 quod mecum Genetrix grata fatetur item.
 5 Non sum solvendo, sed quas me dicere fas est,
 6 Virgineo grates, carmine grata canam.
 7 Inque Dei laudem tua rarae munera mentis,
 8 donec in hoc mundo sum, celebrabo chely.
 9 Si reputem mecum modulamina dulcia vocum,
 10 concentus suaves, tu mihi Phoebus eris.
 11 Amphion mollis tu cantu Numinis iram ;
 12 Orpheus tu lapides, immo Acheronta, moves.
 13 Caesaris hoc mecum Rudolphi tota fatetur
 14 aula ; nec hoc ipsum splendida Roma negat.
 15 Gallia te celebrat : te tellus Itala laudat ;
 16 ingenique tui cantat Iberus opes.
 17 Ergo Dei donum est ars Musica ; desine, Mome,
 18 hanc odisse, pia hac vita carere nequit.
 19 Illa suas animo vires studiosa ministrat,
 20 mollis et a curis pectora fessa levat.
 21 Eredit, et firmat maestos : solacia dicit ;
 22 et fallit longae taedia longa viae.
 23 Musica quin etiam tranquillae tempore pacis
 24 occinit, ad summos Numina sancta tholos.
 25 Musica Bellonae rabiem, saevumque furorem
 26 frangit, et est hosti grata futura suo.
 27 Musica fit duro suavis medicina labori :
 28 hanc superum munus quo minus ergo negem ?
 29 Affectus regit illa pios, atque aspera flectit
 30 pectora, virtutem gignit, et alta vehit.
 31 Pace suos recreat cives : cervicibus arcet
 32 hostilem imbelli vimque minasque manu.
 33 Hanc, Deus admittit sancti ad sacraria templi ;
 34 ut justo in Psalmis possit honore coli.
 35 Quid verbis opus est ? Conservat Musica sanos ;
 36 dispellit morbos ; firmat amicitias.
 37 Mentis ad obsequium sensus deducit, et ipsam

38 ad superos mentem voce sonante trahit.
 39 Non tamen harmoniam stolida, heu, intelligo talem ;
 40 illecebris quae fit perniciosa suis.
 41 Sed qua te Phoebus laudate, Philippe, beavit,
 42 quae gravis, aut Divum munere sola venit.
 43 Quae rapit ex humili affectus, et tollit Olympo ;
 44 a vitiis animos, quae revocare potest.
 45 His igitur gaude donis, totumque per orbem
 46 cantari ut possis, magne Philippe, vale.

NOBILISSIMO ET ERUDITISS JUVENI JOANNI FRANCISCO WESTONIO,
 Anglo fratri suo germano.

P1_027 v.1 Ne mirere, modis properent quod verba ligatis :
 2 quod mihi Calliope, do tibi, Chaire, dedit.
 3 Quae mollit durum numeri dulcedine pectus,
 4 et suadet suavi plangere fata melo.
 5 Fata quidem numquam mihi sat deflenda misellae,
 6 quae tantum Musis eripuere decus :
 7 et quae nos miseris caro spoliare Parente
 8 invidia varios inveniente modos ;
 9 illa docet crudos cantu relevare dolores,
 10 et meminisse diu dedocet illa malum.
 11 Ergo boni querulae immatuos consule versus,
 12 primitias genii quas tibi mitto mei.
 13 In quibus omnimodam Fratri Soror opto salutem
 14 cuncta meis etiam prosperiora malis.
 15 Caelitus ut calidis aspiret Juppiter ausis :
 16 et tibi conatus provehat ille tuos.
 17 Virtutis donec laudato plenior aetas
 18 olim incremento teque tuosque juvet.
 19 Macte igitur virtute tua, feliciter insta,
 20 Jane, onus hoc omni parte levabit amor.
 21 Debole Musarum circumdes Aegide pectus,
 22 fortunae casus ut superare queas.
 23 Quid prospicit illae, duris exercita fatis,
 24 vita dat : exemplo doctior esto meo.
 25 Cura sub obscura nos hic perterritat aura,
 26 et lassata quatit naufragus ossa labor.
 27 Nam dum sollicitis urgetur causa querelis,
 28 in nova Sisyphium tempora vergit onus,
 29 ut redit hora mihi, redeunt simul altera damna :
 30 nec vacuum experior luctibus ire diem.
 31 Sic ego, quod doleo, non mentis morbus habetor,
 32 est morbus tanto, non doluisse malo !
 33 At nequeunt lamenta pios, attingere Manes ;
 34 lacrimave instabiles maesta levare vices.
 35 Spes sane poterat me sustentasse : vel istas
 36 fortunae turbas diminuisse modo.
 37 Spes suadet nautis, tumidas cum Thetis in iras
 38 proruit, extremae quaerere sortis opem ;
 39 sed quid sperandum est miseris : ubi pallidus (eheu)
 40 Livor, avernali cuncta furore petit.
 41 Caesaris est clemens animus ; sed Caesaris aurem

42 subducunt votis invida fata meis ;
 43 quo minus ille queat nostras audire querelas ;
 44 et solitus nobis obvius esse favor.
 45 Sed Deus has etiam nubes absterget iniquas ;
 46 atque serena mei Caesaris ora dabit.
 47 Ille meae columen vitae est, ille ancora ; tandem
 48 sperata faciet me statione frui.
 49 Tu quoque fide Deo, frater dilecte, tuaeque
 50 germanae nullis immemor esto locis.

IN OBITUM EIUSDEM EPITAPHIUM,
 sororii amoris ac extremi officii ergo conscriptum 4 novemb. anno 1600.
 AD LECTOREM.

P1_028 v.1 Forte quis hac recubet, lector, disquiris in urna ?
 2 (Heu) tenero juvenem flore recondit humus.
 3 Nomina participat Franciscus, nomina Janus ;
 4 cognomen vere nobile Westonius.
 5 Miserat hunc olim longinquis Anglia, Boiis,
 6 ex pueru ut fieret cultor, Apollo, tuus.
 7 Ille quidem Musas, sed bis duo lustra, colebat ;
 8 assidua versans sedulitate Sophos.
 9 Verum ubi florigeris, et vix, haec attigit annis,
 10 clauserunt teneros tristia fata oculos !
 11 Plangite vos tecum Veneres ; vos triga sororum ;
 12 flete novem Musae ; vester alumnus obit.
 13 Unicus hic matri natus ; patris unica cura ;
 14 hoc uno fissa est unica fratre soror.
 15 Orphana nempe soror ; mater gemibunda relicta est ;
 16 abruptit triadem, quae fuit arta monas.
 17 Haec quia fata volunt, geminos quae lingua dolores,
 18 quae poterit lacrimas explicuisse meas ?
 19 Munera sed frater tibi sume novissima amoris ;
 20 quae reddit bustis tristis Elissa soror.
 21 Sicque vale aeternum, caelo, Germane, receptus ;
 22 dum socia caeli per juga matre sequar.

NOBILI ET CLARISSIMO VIRO ERICO LYMBURCH. I. U. D.
 CONSILIARIO COMITIS AB OLDENBURG.

P1_029 v.1 Clare vir, et Themidos cultissime cultor, Erice,
 2 vis nimis in laudes luxuriare meas ?
 3 Non ego (quod fateor) tanto sum digna cothurno ;
 4 cum mea Calliope non nisi serpat humi.
 5 Namque amor, atque dolor dilecti funera fratris
 6 jusserunt querulis me memorare modis.
 7 His ego non laudes, non vanos sector honores :
 8 sat mihi si Christo sim proba, grata probis.
 9 Talem nempe probant te candida carmina : Musam
 10 gaudeo mi tenuem displicuisse minus.
 11 Perge favere meo, clarissime Erice, labori ;
 12 Westoniaeque memor sis precor. Inde vale.

AD EUNDEM.

P1_030 v.1 Non ego Praxillam, Sappho, doctamque Corinnam
 2 carminibus dicar vincere posse meis.
 3 Non ego docta tibi praeferri, Fulvia, quaeram,
 4 cum mea ab aridulo venula fonte fluat.
 5 O utinam faciles aequaret Musa Morellas ;
 6 surgeret ex Musis laus mihi digna meis.
 7 Si tamen ingenio, si moribus, arte, poesi,
 8 sacriloquos vates me redolere putas :
 9 judice te insimuler ; sed te tutore vel uno
 10 invidiae discam spernere, Erice, minas.

In opuscula medica clarissimi et excellentissimi viri dni.
 OSWALDI CROLLII, PH. AC MED. DOCTORIS LAUDATISSIMI

P1_031 v.1 Crollius invidiae quia sese audentius offert,
 2 edendo medicis scripta probata sophis :
 3 tam sua virtuti peragit monumenta perenni ;
 4 sincerae praestat quam pietatis opus.
 5 Sed quia grata Deo, afflictisque salubria membris
 6 exigit, aeternum Phoebus Apollo mihi est.

ALIUD.

P1_032 v.1 O Crolli decus, et medicae coryphaee catervae,
 2 qualemcumque etiam saecula docta ferant ;
 3 Spagiricas si quis sapit, et discriminat artes,
 4 pro scriptis grates, quas tibi debet, agit.
 5 Invida turba tonet ; turgescant Ilia fastu :
 6 laurigeros feriunt fulmina nulla sophos.

CLARISSIMO VIRO, D. MATTHAEO DENICHO
 medico peritissimo novae urbis Pragensis, amico suo singulari.

P1_033 v.1 Et tu Phoebeis Epidaurius alter in herbis,
 2 dextera cui leti claudere docta viam.
 3 Quae mihi Carolidae mittebas carmina vatis,
 4 dulcisona Phoebi demodulata lyra :
 5 ut vidi, grata, qua deboeo, mente recepi.
 6 Inque suum posui, quo jubet ordo, locum.
 7 Post dictas igitur nostro illi nomine grates,
 8 obtineat veniam tarda Thalia suam :
 9 lentior illa fuit grates referendo merenti,
 10 quas omni nequeat reddere nixa opera.
 11 Non fortuna ream me fecit, at invida Musis
 12 otia frigidulis esse noverca negat.
 13 At mea fata tibi num sint obscura rogarem,
 14 qui noster, nostro quique dolore doles ?

15 Scis equidem, nec vana loquor mea carmina languent,
 16 et deficit mihi, qui debeat esse nitor.
 17 Haec tamen (ut credo tibi) carmina redde poetae :
 18 prosperaque auspiciis fata precare meis.

CLARISSIMO VIRO, DOMINO GEORGIO CAROLIDAE A CARLSBERGA,
 civi Pragensi, artium liberalium magistro, et poetae Caesareo.

P1_034 v.1 Carmina natalem nati celebrantia Christi
 2 quae mihi sunt celeri deproperata manu,
 3 femineo cernis titubare profecta cerebro,
 4 at minus admiror consonuisse tibi.
 5 Nam veluti numeris, si quae concinnior oda est,
 6 quae nusquam raucis errat inepta sonis :
 7 aure queat melius concepta placere vaciva,
 8 etsi hanc Pastoris vox moduletur iners :
 9 non aliter cunctis cantando encomia Christi,
 10 arbitror in numeris posse placere meis.
 11 Nam variata animum capiunt ; adduntque nitorem :
 12 sin mala materies, nil tua Musa valet.
 13 At quid habes, tenues magis exhilarare Camenae
 14 pectora quo possint ? Dignius ecquid habes ?
 15 Quam quae pro toto sanctissima victima mundo
 16 ante Deum cecidit ? Quae mala cuncta tulit ?
 17 Non tamen his propriae, sed Christi buccina laudis
 18 esse cupit, modicis Pieris usa modis.
 19 Unde placere Deo valeam, jungique catervae
 20 sedibus in caeli quae radiantis ovat.
 21 Haec mihi Musarum sit meta, laborque mearum ;
 22 ut dilecta Deo sim, sed amata bonis.
 23 Vatibus haud cupiam dici praelata vetustis :
 24 de celebri nullum sede movere velim.
 25 Floreat a primo postremum Lesbia in aevum,
 26 ac Heliconiades quae coluere deas.
 27 Posterior sit adhuc aetas haec nostra, priori
 28 par numerum numero ; sed bonitate prior.
 29 Tu vero teneram qui tanto carmine Musam
 30 prosequeris, qui me vatibus anumeras !
 31 Deprecor a summo deposcas Numine tandem,
 32 ut sim, qualis erat Lesbia : sorte puto.
 33 Tunc tibi carminibus gratabor, culte Georgi :
 34 altera tunc pro me Lesbia, vota feram.

IOANNI LEONI PRO CARMINUM NATALITIORUM EDITIONE.

P1_035 v.1 Si tibi sunt Musae, si sunt tibi carmina curae,
 2 Jane, vide, mea quid Calliopea velit.
 3 Sunt mihi de Christi nascentis carmina cunis
 4 condita, perpetuis subjicienda typis.
 5 Haec curae committo tuae : tu prospice sollers
 6 ut des chalcographo. Sint quoque digna legi.
 7 Si quid inest duri, cedens emolliet aetas :

8 tu tamen, ut crescat Musa pusilla, fave.

AD EUNDEM.

P1_036 v.1 Quid tibi pro donis, Leo concelebrande, refundam ?
 2 Vincula quove mihi sunt soluenda modo ?
 3 Nil superesse reor, digne quo munera pensem ;
 4 nexibus et dicar jure soluta tuis.
 5 Sed restat, quod spero, dies ; qua Numine dextro
 6 pro meritis potero par retulisse tuis.
 7 Temporis interea quidni tibi vincita manerem ?
 8 Sic tamen ut doctos, Jane, revincit amor.

NOBILI ET CLARISSIMO VIRO G. MARTIN A BALDHOVEN, SILESIO
 amico suo singulari.

P1_037 v.1 Ecquis ad officium Musas revocabit inertes,
 2 compositaeque melos addet Apollo lyrae ?
 3 Ut tibi promeritas dicam modulamine grates ;
 4 et tribuam Musis praemia digna tuis.
 5 Ausus es altisono me vatem dicere cantu,
 6 et Parnassiacis associare choris !
 7 Me celebras equidem, propria sed laude coruscas
 8 ipse magis, fidibus dignior ipse cani.
 9 Nam, qui sis, produnt tua te mihi carmina : legi,
 10 et flexere animum, ceu voluere, meum.
 11 Res et verba fluunt leni tibi tramite ; possis
 12 Nasonem numeris ut superare tuis.
 13 At mihi, vix primis quae libo puerilla labellis
 14 Aonidum fontes, non ea vena salit.
 15 Nec fortuna favet, nec restant otia Musis,
 16 quae fuerant quondam liberiora, meis.
 17 Ergo quod in versu vel pecco, vel ordine currunt
 18 singula confuso, dic age ; Virgo dedit.
 19 Tempus erit, quo me speculabitur aethere Phoebus,
 20 et curas perimet : tunc meliora dabo.
 21 Interea tibi fata precor felicia : teque
 22 Westoniae ut pergas usque favere, rogo.

AD EUNDEM.

P1_038 v.1 Baldhovi, quem nostra movent incommoda, amici
 2 nomine nequicquam dissimulande mihi :
 3 accipe, amice, meos lugubria fata Decembres,
 4 qui mihi felices eripuere dies.
 5 Nam quod adhuc tremulis evanida vocibus hisco :
 6 nil nisi, quod soleo, flere, dolere queo !
 7 Nec queo ! Nam superant muliebrem infanda dolorem
 8 vulnera, vulneribus semper acuta novis ?
 9 O utinam solis spirarem affixa querelis :
 10 nec querulae impeteres, Livide, vocis opus !
 11 Ast utinam nobis, satiande crux pueriae,

12 obstrueres avido gutture, vocis iter.
 13 Sic mihi perpetuos quae sunt patienda per annos,
 14 obrueret subitis cladibus una dies.
 15 At tu nempe, meis socium ut te casibus addis ;
 16 sic preme propositum mente tenace tuum.

IN 2 OVIDII. TRIST.

P1_039 v.1 Sors tua, Naso tuae pretium artis, plurima mecum
 2 de proprio voluit participare malo :
 3 cuius in haec tandem creverunt agmina vires,
 4 effundi solitas ut superent lacrimas.
 5 Duco reluctantes extrema per omnia Musas :
 6 nec mihi, qua pergo quave recedo, via est.
 7 Perpetuos igitur luctus iniere Calendae,
 8 exiit auspiciis ultima meta meis !
 9 Torqueor, et miseri quaerens solamina casus,
 10 tristibus inficiar, Naso, misella tuis.
 11 Ultima enim primi repetens documenta libelli,
 12 eventus video fati utriusque pares.
 13 Dum mea me in similem rapuerunt tempora sortem :
 14 quamvis dissimiles causa det ipsa modos,
 15 Qui te Sarmaticas mensis projecit in oras,
 16 prima idem fati visus origo mei.
 17 Missus in exilium freta per diversa luisti
 18 suppicio culpam tu graviore tuam :
 19 exsul ego hic dudum peregrinae supplico terrae,
 20 quae mala dat quovis horridiora freto.
 21 Te piger hospitio profugum rigor excipit Ursae,
 22 qua jacet extremo terra subacta gelu :
 23 Arctophylax nostro non multum a vertice distat,
 24 longaque Phoebum atris nubibus addit hiems.
 25 Una tibi Nerei movet inclemencia bilem,
 26 quam tamen amplexu vel Thetis una levat.
 27 In me perpetuos armat fera turba furores.
 28 Ah dolor ! in me aditus impetus omnis habet !
 29 Scribenti, cartam feriunt tibi gurgitis undae :
 30 et mea, sed lacrimis, scripta rigata madent.
 31 Propria tu defles incommoda : me omnia solam,
 32 quae vix ingenuae sunt toleranda, gravant.
 33 Tu patriam, incolumes patriae sed linquis amicos :
 34 mi pater et patrii hic interiere lares.
 35 Sauromatae infestant crebris tibi cuncta rapinis :
 36 et mihi, quae non dat, gens furibunda rapit !
 37 Noxia fecisti tu lumina, et artis honorem
 38 laesisti : poenas carmen, et error habet.
 39 Pro pietate mihi crudelis reddita merces :
 40 culpa etenim tanti nulla probata mali.
 41 Jamque tui tecum poterat querimonia luctus
 42 fortia magnanimi frangere corda viri.
 43 Quem non et tenerae moveant lamenta puellae,
 44 damnaque barbaricis vix superanda Getis ?
 45 Ergo tuo liceat mea fata dolere dolore !
 46 Ah melior quanto sors tua sorte mea est !

AD EUNDEM BALDHOVENIUM.

P1_040 v.1 Sunt indigna quidem celebri mea carmina prelo :
 2 carmina turbatae pleraque mentis opus.
 3 Sed quia commendas, et vatibus illa probantur,
 4 judice te tacito prosiliere loco.
 5 Baldhovi, curae tibi ut esse videmus, habebis ;
 6 ne sit quod nocuus felle profanet acor.
 7 Nam gemitus inter Rudolphi Caesaris oro
 8 auxilium, et vitae fata sinistra gemo !
 9 Det veniam lector, bilemque coercent hostis,
 10 dummodo versiculis vera revolvo meis.
 11 Audiat innocuae Caesar suspiria Nymphae,
 12 et dicat : "Votis Westoni, digna feras."

VIRGINI NOBILI MARGARETHAE BALDHOVENIAE,

B. MARTIN A BALDHOVEN SENIORIS, FILIAE SUAVISS. NOVAE NUPTAE.

P1_041 v.1 Margari, quae monitu fratris tibi carmina promam ?
 2 In thalamumque tuum vota precesque feram ?
 3 Non alia, ac ipsi mihi quondam sponsa rogarem ;
 4 a Phoebo et Musis, vota precesque dabo.
 5 Auspiciis ineas igitur sacra foedera laetis :
 6 et sponsum vere, quo redameris, ames.
 7 Omnibus officiis illum lenire memento ;
 8 si vitare velis jurgia crebra tori.
 9 Est mandare viri, nostrum est parere : maritus
 10 est caput, ac ipsi mutua membra sumus.
 11 Ut caput est Christus sancti (sancta Unio !) coetus,
 12 sic sponsum sponsae fas caput esse sua.
 13 Tu sis gemma viro pretiosa : quod omine nomen
 14 ipsum Margaridos prosperiore notat.
 15 Sit pietas rectrix morum vitaeque : sine illa
 16 vix formosa suo est sponsa futura viro.
 17 Margaris artificis digitis quae includitur auro,
 18 gestanti semper gratior esse solet.
 19 Sic ubi virgineos mores, vitamque gubernant
 20 et pudor et pietas, gratia major inest.
 21 Est species fallax, ac ornamenta caduci
 22 corporis : hei ! subito, ceu levis umbra, cadunt.
 23 Sola manet nobis virtutis fama superstes :
 24 haec sponsos ornet dos pretiosa satis.
 25 Sed quid opus monitis, ignosce, puella, puellae,
 26 quae restant thalamo ? Cetera dicet amor !
 27 Vive vale : sponsoque tuo sis gemma ; vicissim
 28 ille tibi firmam praestet amore fidem.
 29 Sint procul a vobis rixae : concordia lectum
 30 servet, et amborum sint rata vota, precor.

NOBILI ET ERUDITISS. VIRO, ECBERTO MAJO.
ill. et generos. dn. com. Lippensis a secretis.

P1_042 v.1 Quod memor es nostri, quantum mihi grata voluntas
 2 est tua, sic grates debo, Maje tibi.
 3 Displicet hoc, fateor ; nimio quod amica favore
 4 mens velit in laudes incaluisse meas.
 5 Quid juvat imbellis per grandia ducere vires ?
 6 Rusticulosne etiam nomen herile trahat ?
 7 Bubonem Cygnus soletur, alauda palumbem ;
 8 numquid ob id rauco corriget ore loqui.
 9 Non quales celebras sublimi, Maje, cothurno
 10 ingredior titulos ; nec queo, laudis inops ;
 11 sed magis adversis respondent numina dictis :
 12 res est exhibita laude quod ipsa minor.
 13 Aonidum primo tetigi pede prata Sororum,
 14 ire nec ulterius fata maligna sinunt.
 15 Saepe meum nimii coeptum minuere dolores,
 16 et perpes medium lacrima rupit opus.
 17 Vix documenta vagis prodens titubantia signis,
 18 effatur gemitus Calliopeia suos :
 19 fata meis quoties adeo renuentia votis
 20 ingemit : immitem conqueriturque Deam.
 21 Jam mea si reputes aetatis fata tenellae,
 22 nil tibi quod sapiat, nil quod ametur, erit.
 23 Sed quid opus calamo ? Foedi vestigia luctus
 24 conspicuam faciunt resque dolenda fidem.
 25 Haec sine sunt teneris primordia digna Camenis ?
 26 Num dare se studiis sic tener ullus amet.
 27 At mihi nota tuae virtus aequissima mentis
 28 et pietas nugas evehere ausa meas.
 29 Non igitur damno, licet indignissima, laudes :
 30 nam tuus his animi dat sua signa favor.
 31 Duxi raucidulae modulamina rustica avenae,
 32 saepe petita tibi consule, Maje, boni.

AD IOANNEM CASIMIRUM GERNANDUM CUM XIII AETATIS ANNO SECUNDA ;
LAUREA PHILOSOPHICA CORONARETUR.

P1_043 v.1 Ergo tuo credam de te, Casimire, parenti,
 2 quem nimius forsan scribere jussit amor ?
 3 Et moveor patris indicio, magnique Melissi,
 4 Gruterique opera, quae facit ipsa fidem.
 5 Publica confirming mage me tot scripta ; tuique
 6 ingenii fetus, docte puelle, probant.
 7 Ingenium miror ; mihi gaudeo ; gratulor orbi ;
 8 atque in te celebro munera larga Dei,
 9 cui grates debes, tantis quod dotibus ornet
 10 mollia prima aevi pectora parte tui.
 11 Sic tibi supplebit, quae desunt, longior aetas,
 12 et quae te illustret gloria, major erit.

AD EUNDEM.

P1_044 v.1 Flos aevi, Casimire, tui, tibi grator honorem,
 2 quo Deus ex merito teque patremque beat.
 3 Faxit is ingenio quae gloria crescit, ut illa
 4 publica delectet commoda, priva juvet.
 5 Non addam stimulum ; video te pergere recta
 6 ad metam, verus quam tibi ponit honor.
 7 Omnia despicias, quae te remorentur euntem :
 8 sic Phoebus palmae praemia digna dabit.
 9 Tu patrium extendes per saecula nomen : honore
 10 magnus eris, patriae major amore tuae.
 11 Ergo doce, ingenii quae sit praestantia : amicis,
 12 eia, avidis animi munera prome tui.
 13 Te patris invitat virtus : frustrante paternus
 14 spe, cave, ne soleat te superare favor.

AD HERMANNUM FABRONIUM : HASSUM. P.L.

P1_045 v.1 Scripta parum cultae quid tollit ad astra puellae
 2 advena cui patrium est Hassia clara solum ?
 3 Non ea sunt tanti, quae quis miretur, honoris :
 4 nec mea, sed fati tristia verba mei.
 5 Duxi etenim invito languentia carmina ductu ;
 6 dum Musis operam sorte negante dedi,
 7 et tristes inter traxi suspiria casus,
 8 non madida Aonio nectare, sed lacrimis.
 9 Hae mihi materies a primo tempore, ad imum
 10 hae fuerint suetae per mea fata Duces.
 11 Si quid erit forsan diversum spebus, ob illas
 12 torpori veniam, lector, ut opto, dabit.

AD THOMAM BLASIUM.

P1_046 v.1 Sancta Thomae sancto roseis lux fulsit ocellis,
 2 cujus sacra tibi nomina Lympha dedit.
 3 Te memini nuper fidibus celebrasse canoris
 4 festa, mihi cunas quae posuere meas.
 5 Ni male grata velim (quod dedecet esse) videri,
 6 debet idem genio nunc mea Musa tuo.
 7 Ergo bonis avibus natalia festa recurrent
 8 saepe tibi, et secum saecula laeta ferant.

JOHANNI HELLERO I. U. D. ELIS. IO. WESTONIA S.D.

P1_047 v.1 Si tibi nostra placent vernantis carmina Musae,
 2 Hellere, Hesperiae cultor, amorque deae :
 3 gaudeo, nam doctis laus est placuisse poetis,
 4 quos inter forsan, tu numerandus eris.
 5 Famae praeco meae es, teneramque favore poesin

6 virginis (ut versu ludis et ore) juvas.
 7 Et tibi quem spondet, Phoebus concedat honorem :
 8 et grates pariter musicus ordo canat.
 9 Quae tamen hexametri sint leges carminis, Anglam
 10 addoceas ; nam te disco docente lubens.
 11 Hactenus est pedibus senis, nec pluribus, usa
 12 Musa : novi si quid, dic mihi, Phoebus habet ?
 13 Da veniam, quaeso tantum, non carpo poema,
 14 sed cupio monitis, doctior esse tuis.
 15 Hexametrum pedibus Carmen sex constat, at abs te
 16 sunt septem positi : qua ratione ? Doce !

© ELISABETHAE JOAN. WESTONIAE, JOHANNES HELLERUS . S.SD

P1_048 v.1 Scripsisti, memoro saltim : tua pectora tango ;
 2 dispeream, si non te pia Pallas amem.
 3 Docto etenim expandas cum cernua pectora plausu,
 4 non moror in similes me variare jocos.
 5 Versus, enumeroque pedes in carmine certos
 6 quolibet ; et socio pectora, verba, fidem.
 7 Deciderat caelo ast Vulcanus garrulus : ille
 8 illicita assumpsit munia forte pedum.
 9 Somnio et intueor baculo Westonidem euntem :
 10 obstupeo solitas pluripedem ire vias.
 11 Ista prosodiaci nova sint praeludia Phoebi :
 12 sit mea septenos Musa imitata choros.
 13 Error uterque placet, placet et correctio Graiae ?
 14 Dispeream, si non te pia Graia colam.
 15 Dispeream, si non optem ut tua jurgia cessent :
 16 et redeant justo pristina jura foro.
 17 Sed quando hoc fiet (fiat quod plurimus opto
 18 Westonidi et bene sit vota do) tempus erit.
 19 Te Jova, te Caesar, te caeli et numina terrae
 20 te sic Helleri etc.

RESPONSUM ELIS. JOH. WESTONIAE. AD JO. HELLERUM J. U. D.

P1_049 v.1 Quae scripsi, memoro : tetigi tua carmina lima ;
 2 dispeream, fuerit si mihi Musa jocus.
 3 Seria quae dico, tu dicas carmine plausum :
 4 mens mea nil praeter, quam probat ore, probat.
 5 Ut patet, hexameter pede versus abundat : et hoc est,
 6 vate quod a docto quaero puella rudis.
 7 Interea mihi Vulcanum de sidere lapsum,
 8 et minuisse pedem, Musa jocosa refert.
 9 Esto : tuae velet Vulcanus crimina culpae,
 10 at quid Westonidi pes nocuisse potest ?
 11 Somnia sunt fateor, quae narras : Morpheus culpas ?
 12 Num baculo hic metricos scit numerare pedes ?
 13 Hexameter nescit senos excedere gressus :
 14 pluripedes vates ne mea Pallas amet.
 15 Error inest versu ? Placeat me quaerere : quaero,

16 quod Phoebi cupiat te monuisse comes.
 17 Parce, precor, si pecco rudis ; sus sive Minervam
 18 erudit : optavi discere ; parce rudi.
 19 Cetera, quae variis mihi sunt promissa loquelis
 20 alterius, rata sint, irrita dicta diu.
 21 Et tu subsidio causae meditare salutem :
 22 me gratam officiis senseris esse tuis.
 23 Sed mora sera nocet : bis das, nisi munera tardas :
 24 i mora mora ! Agiles tu tamen adde manus.
 25 Denique promisso grates tibi carmine reddam :
 26 patrono misi paucula, plura brevi.

© AD NOB. ET DOCTISS. VIRGINEM ELYSABETHAM JOHANNAM WESTONIAM ANGLAM,
PIGRAMMATA GEORGII CAROLIDAE A CARLSPERGA ETC. POETAES CAESAREI.

P1_050 v.1 Ne vacet ulla tuis pagella, Johanna, libellis,
 2 adjice nostra tuis carmina carminibus.
 3 Si lector facti causam volet, omnia, dices,
 4 Carolidae mea sunt et mea Carolidae.
 5 Saepe movent stulti pro carmine bella poetae,
 6 at nostram evulget carmen amicitiam.

TYPOGRAPHIA ANNO CHRISTI 1440. DIE 2 IANUARII AB JOHANNE GUTTENBERGERO
STRASBURGENSI, MOGUNTIAE EXCOGITATA.

P1_051 v.1 Mira typis libros ars quae celeri excitat actu
 2 Guttenbergeri genio est inventa Johannis.
 3 Divinum caelo demissum munus ab alto,
 4 quo melius nil prima tulit, licet aurea multis
 5 nominibus, postrema nihil simile afferet aetas.
 6 Illi debemus nostra otia, libera curis
 7 otia sollicitis ; nam quae nos tempora Musis
 8 (seu meditando aliquid, seu scripta aliena legendo)
 9 non ingrata damus, perdebant illa priores
 10 longa exscribendis ducentes taedia chartis.
 11 Illi debemus millena volumina legis
 12 aeternae, variata notis, sed consona verbo.
 13 Illi debemus veterum donata sophorum
 14 scripta nova luce, et nostris magis usibus apta.
 15 Illi debemus, quod nunc parvo aere parantur,
 16 magna quibus prisci impendere aeraria reges,
 17 et quod nobilibusque ignobilibusque leguntur
 18 secreta antiquae Sophiae discrimine nullo,
 19 denique quod nitidis oculos distincta figuris
 20 scripta minus laedant ; quod sint secura ruinæ
 21 squalentisque situs, ut quae revocentur in auras
 22 quovis tersa manu doctorum excultius anno ;
 23 quodque tot innumeris habeamus scrinia librī
 24 plena, Typographiae hoc debemus muneris uni.
 25 Quis talem ergo vehat condignis laudibus artem
 26 quae laus tota sua est ? Lege libros, otia laudas
 27 parta Typographia. Libros eme, taedia damnas

28 scribendi, atque brevis producis tempora vitae.

II. DE ET PRO TYPOGRAPHIS.

P1_052 v.1 Qui mirare Typographos bibaces
 2 omne impendere poculis lucellum,
 3 collectantem operis adi officinam
 4 et vide, ut bibulae typos papyro
 5 imprimant alacres ! Ut ore toto,
 6 ut tota facie manuque sudent,
 7 ex humoribus intimis madentes !
 8 Non te, non poteris tenere dextram
 9 sudantum miseratione fratrum,
 10 quin grossum patula eximas crumena
 11 exsuccisque novum pares liquorem.
 12 Et tum, mira tibi videbitur res,
 13 quod ipsos quoque se suasque chartas
 14 suspensa arte nimis laboriosa
 15 uidis tradere differant tabernis
 16 ex tanto madidi labore Fratres.

III. OMNE NIMIUM NATURAE INIMICUM.

P1_053 v.1 Ut natura suo est pulchre contenta paratu,
 2 sic ars immensas undique quaerit opes ;
 3 utque artis labor omnis honorque decorque caducus,
 4 Naturae constans sic manet omne bonum.
 5 Ergo odit nimium, medium Natura tuetur :
 6 felix, Natura qui duce carpit iter !

IV. FATUM FRUSTRA CAVERIS.

P1_054 v.1 Numine cuncta suo Deus implet. Quo fugis illum ?
 2 Quod semel edixit, qua ratione caves ?
 3 Frustra utrumque facis. Stat inevitabile Fatum :
 4 vive bene et promptus, dum vocat, esto sequi.

V. PATIENTIA.

P1_055 v.1 Nil adeo validas habet, ut Patientia, vires :
 2 vim vincit, vires nec movet ipsa suas.
 3 Omnia fer patiens propriosque retundito motus ;
 4 omnium eris victor semper et ipse tui.

OFFICIUM CUJUSQUE HOMINIS.

P1_056 v.1 Obsequium Domini, cultum sacra numina poscunt,
 2 proximus officium, patria terra fidem.
 3 Qui cupis et dici simul et bonus, esse, quod aequum,
 4 redde cuique suum, nosce teneque tuum.

VII. AULA ET AULICUS.

P1_057 v.1 Aula, vale, semper magnis amplissima verbis,
 2 inque fide semper labilis, Aula, vale.
 3 Qui te sectatur servitque fideliter, illum
 4 spe pulchra, ad tempus, quo tibi proposit, alis :
 5 at postquam ingratis queritur periisse labores,
 6 enervem rides emeritumque fugas.
 7 Numquam fraude cares, numquam tibi jurgia desunt :
 8 semper suspicio, semper adestque metus.
 9 Splendida paupertas comes est tibi : fictio vultus,
 10 cognita quae noceat pluribus esse, tegit.
 11 Mimus, Adulator, Leno, Mercator, Apella,
 12 cum grege scortorum te sine fruge colant.
 13 Ergo vale : expertus fugio tua limina ; vivam
 14 contentus patriis finibus. Aula vale.

VIII. URBS ET RUS.

P1_058 v.1 Quanto distet ab Urbe rus, videndum est.
 2 Pax urbes colit et beata rerum,
 3 "rerum copia" multiplex bonarum :
 4 honores parit, et gradus honorum
 5 novit ordine separare pulchro ;
 6 urbs demum tenet omne, quod necessum est
 7 ad vitam bene splendideque agendum.
 8 Ruri commoda et otiosa vita est,
 9 quae natura requirit, illa praestat,
 10 sed parce nimis et sine apparatu.
 11 Cultum negligit arduosque honores,
 12 fastum ridet et aulicos tumores ;
 13 curis interea molestiisque,
 14 quas servi pariunt, onusta semper.
 15 Cum multis ibi, solus hic maneto.
 16 Quae praestantior ergo pars videtur ?
 17 Crux utrimque sua est quidem, sed illa,
 18 cui adsunt medici, minor putatur.

IX. MEDICINA FAMILIARIS.

P1_059 v.1 Si nocuit vinum, somno, si lingua momordit,
 2 infracto vigilans pectore vince malum.
 3 Nam vino vinum, verbis si verba repellas,
 4 clavus it in clavum, et fixus uterque manet.

X. NIMIA FAMILIARITAS PARIT CONTEMPTUM.

P1_060 v.1 Quisquis amicitia gaudes et honore moveris,
 2 delige quos fido cautus amore colas.
 3 Nulli te nimium secretaque pande sodali,
 4 semper ad affectum junge virile decus.
 5 Nam si declines, contemptus habebaris ; et nil,

6 te penitus notum quod tueatur, erit.

XI. DEFORME DIVERSORIUM, MALI HOSPITIS INDICIUM.

P1_061 v.1 Deforme corpus, mentis elegantiam,
 2 (prodente natura suos naevos palam)
 3 raro receptare adsuevit hospitem ;
 4 ut haesitans lingua impediti gutturis
 5 vix veritatem est deprehensa dicere.
 6 Valentque tantum signa rebus insita !
 7 Et ne malis capiantur artibus boni,
 8 natura praecavendo tam prudens fuit !

XII. USUS VINEAE.

P1_062 v.1 Saepe rogas, Cherine, mihi quid vinea prosit ?
 2 Saepe queas domui ne gravis esse meae.

XIII. QUOD PRAESTARE HODIE POTES, AD CRASTINUM NE DIFFERAS.

P1_063 v.1 Lapsa perit, tantum praesenti vivimus hora :
 2 cras se victurum, dicere nemo potest.
 3 Quicquid enim facimus miseri, quocumque movemur,
 4 mors lateri nostro subsequa semper adest.
 5 Quod potes, ergo hodie praesta, neque differ in horas :
 6 pro dubio certum linquere, stultitia est.

XIV. DE BAPTISATIS JUDAEIS.

P1_064 v.1 Judaeus licet abluat sacrato
 2 plenum perfidiae caput lavacro ;
 3 Judaeus tamen ore, mente, vultu,
 4 cum turpi remanet petacitate,
 5 nativa arguitur rapacitate,
 6 stulta noscitur a procacitate.
 7 Immunda illuvie oblitus vagatur ;
 8 foetet, ceu Solymaeus hircus : hirrit
 9 in templo, ut canis aptus in catenam ;
 10 circumfert habitu exscreatque sordes,
 11 et mens plane eadem manet cutisque,
 12 sed mutabile nomen est Apellis.
 13 Pragam pro Solymis habent, Deumque
 14 Thalmuti subigunt suo adplicantque
 15 Christum Christicolasque despuentes.
 16 Magnates sibi mentiendo jungunt,
 17 quos rursum pretio dolisque vendunt.
 18 Si lucrum adsit, habes tibi propinquos,
 19 si lucrum absit, habes procul remotos.
 20 Si credas, male blandiendo fallunt ;
 21 si ludas, simulando te prehendunt,
 22 scurrae, foedifragi atque ludiones,
 23 aurispongiae et impii latrones.

24 Intrant ut catuli, bonosque rodunt ;
 25 vivunt ut famuli, Ducesque produnt :
 26 decedunt dubii Adonai vocantes,
 27 Christum non sine felle nominantes,
 28 Judaeique meri atque proditores
 29 extremos moriuntur inter actus,
 30 et praedam simul improbe coactam
 31 secum daemonibus vovent malignis.

XVI. DE VINI ET AQUAE NATURA AD POLYDORUM.

P1_065 v.1 Carmina proveniunt animo deducta sereno,
 2 Pelignus teneri carminis auctor ait.
 3 Vina parant animos curasque a pectore pellunt,
 4 ingeniumque acuant laetitiamque fovent.
 5 Et velut exhaustam reficit pinguedine terram,
 6 projicitur quoties sicca per arva, fimus ;
 7 sic vatum defessa, liquor generosus Iacchi
 8 affatim infusus, pectora feta facit.
 9 Materiamque subinde novam meditantibus offert,
 10 naturamque sua fulcit et auget ope.
 11 At potator aquae, cerebro, stomachoque laborat,
 12 et curam, quod edat : non, quid ut edat, habet.
 13 Musa famens sitiensque adeo nil cogitat alti,
 14 nec cupit a sera posteritate legi !
 15 Non magnos magni, non se tanti aestimat ipsam,
 16 laudis ut aeternum tollat ab arte decus.
 17 I nunc ergo, jube, vino sine fronte negato
 18 me carmen facili dulce sonare lyra !
 19 Quos male cultus ager reddit pro semine fructus,
 20 hos tibi delusus spe, Polydore, dabo.

@ HACTENUS GEOR. CAROL. A CARLSPERGA EPIGRAMMATA.
 AD ELISABETHAM WESTHONIANAM NOBILEM POETRIAM

P1_066 v.1 Carmina quod lyrico cudas numerosa cothurno,
 2 herooque tones grandia verba pede.
 3 Prodidit id nobis Czechicas diffusa per urbes
 4 Elisabeth, laudis prodiga fama tuae.
 5 Sed quia saepe solet mendaces vendere nugas,
 6 qui vellet famae credere, rarus erat ;
 7 sic ego mobilibus tarde qui credo susurris,
 8 unus, de dictis qui dubitaret, eram ;
 9 interea argutos tandem prodire libellos,
 10 et scribi claris cerno poema typis,
 11 Virginis inscriptos ubi vidi nomina versus,
 12 pallueram ad nomen docta virago tuum.
 13 Cede, Perilla, inquam, Nasonis vivida versu,
 14 cumque tua Sappho Lesbia cede lyra.
 15 Angla bene heroo, lyrico bene carmina plectro
 16 fingit, et alterno est ludere gnara pede.

© M. PAULUS STRANSKY ZAPAENUS BOH. : ALIUD.

P1_067 v.1 Summus ut affirmat Scaliger, dum rexerat orbem
 2 Caesar et Ausonias Domitianus opes,
 3 orta est Sulpitia de gente poetria virgo
 4 nomine de stirpis dicta puerilla sua.
 5 Ille hanc Sulpitiam vates superasse Latinos,
 6 Ausonii satyras, hujus et esse, putat.
 7 Prima haec Romanas docuit contendere Graeis
 8 carmine divino, docta virago, nurus.
 9 Nec mirum, patria nam Virgo poemata lingua
 10 scripserat, est patrio res minor ore loqui.
 11 Sic Itali, Galli, Hispani, Boiique poetae
 12 dant multi patrium, rhythmica metra, melos.
 13 At veterum vitant, vix cuiquam imitabile vatum
 14 carmen, et ignavis res placet illa minus.
 15 Haec aliter sentit Westonia virgo, poetas
 16 illos dum superat carmine docta suo.
 17 Plaudite Pierides, Sappho est si Dena, sequatur
 18 Sulpitia, at comes huic docta Elizabeth eat.

PARTHENICON ELISABETHAE IOANNAE WESTONIAE. LIBER II.

MEDITATIO CUM GRATIARUM ACTIONE IN DIEM NATALIUM SALVATORIS NOSTRI.

P2_01 v.1 Festa dies hilari (mortales plaudite !) Caelo
 2 illuxit, reserans gaudia vera piis.
 3 Haec est illa dies qua casta Virginis alvo
 4 egrederis summi filius ipse Dei :
 5 quo nascente vigil gratantem turba salutat
 6 aethera ; dant cantus Aligerumque chori.
 7 Et merito grates toto tibi pectore dicunt :
 8 quod similis nobis carne manere velis.
 9 Humani fragiles quia corporis induis artus,
 10 ut miserae fias condicionis homo.
 11 Est corrupta quidem natura nostra : sed illam,
 12 crimen cum vacuus sis, sine labe tenes.
 13 Foedera nobiscum pepigisti, accensus amore,
 14 nostri, non ulla dissoluenda die.
 15 Vestiris specie mortali, mille periclis
 16 subjectus, tumidae fulminibusque necis.
 17 Qua nos incertos vitae, radiantis Olympi
 18 participes faceres, diva propago Dei.
 19 Ad te suspiciunt igitur pia lumina, castae

20 Virginis o soboles, o pie Christe, Siloh !
 21 Simus ut a Satanae sejuncta caterva cathedra :
 22 ne tibi nos stygius fraudibus error agat.
 23 Nos vera potius pietate tuere fideles,
 24 puraque sideriis agmina siste choris.
 25 Tolle nefas animis, et quae caro crimina gignit,
 26 pax arte miseris copulet alma tibi.
 27 Nam genus humanum, propter sua crimina lapsum
 28 irato reddis conciliisque Patri.
 29 Ante Deum supplex cadis hostia ; suppressis iras :
 30 solus es, ante Deum qui mediator eras.
 31 Solus es auxilium qui conciliumque tulisti,
 32 solus es aeterni quo patet aula Patris.
 33 Sic equidem decuit ; sic ordo juris et aequi,
 34 postulat : aequivalens sic decet esse lytron.
 35 Nempe Redemptoris qui nomina sumit, oportet
 36 esse hominem, atque Deo de genitore satum.
 37 Sic laesi poteras iram lenire Parentis,
 38 et rabidae victor frangere tela necis ?
 39 Reddere justitiam, verae nova gaudia vitae ;
 40 excelsi rimans intima corda Dei ?
 41 Sic castas audire preces ; defendere justos
 42 pastor et aeternus sic gregis esse tui.
 43 Daemonis arma potens, stygiasque infringere vires ?
 44 Ex tenebris pressos ut revocare queas !
 45 Haec praestare hominum siquidem natura nequibat
 46 tu praestas meritis, unice Christe, tuis.
 47 Quas igitur debent mortalia pectora grates ?
 48 Vel quae lingua satis tot benefacta canet ?
 49 Heu, sumus ingrati, foedati crimine carnis ;
 50 quam mens aegra parum munera tanta capit !
 51 Ergo quod assequitur minus hac caligine sensus,
 52 addoceat sacro Spiritus igne tuus.
 53 Et velut in lucem brumali tempore prodis,
 54 claudere quo terras frigora densa solent ;
 55 in stabuloque infans inter praesepia vagis,
 56 cum tamen aetherii sis Patris ipse logos :
 57 sic, precor, in nobis sapientia vera misellis
 58 vagiat, ad finem dum celer orbis abit.
 59 Tempora labuntur, labuntur sceptralia, genusque :
 60 impendet reprobo summa ruina solo.
 61 Flet pietas ; Themis alma tremit, suspiria tollit
 62 Phoebus et Aonides tristia fata dolent.
 63 Omnia ad extremum properarunt ; omnia finem
 64 exspectant ; cupiunt esse soluta jugo.
 65 Has igitur curas inter tenebrasque precamur,
 66 ne nos, fons vitae, deseruisse velis.
 67 Angelico nos junge choro : fac carmine grates
 68 undique consensus cordis et oris agent.
 69 Sola tibi soli tribuatur gloria, Christe,
 70 qui solus sapiens, solus es omnipotens.
 71 Illa salutiferi clemens oracula verbi
 72 obsigna in nobis, nec periisse sinas.
 73 Spiritus immeritos tibi nos tuus uniat uni :
 74 tu nostrum caput es, nos tua membra sumus.
 75 Vivida qui lux es, clara nos luce gubernas ;

76 et duc ad regni gaudia certa tui.
 77 Omne tuum propter meritum, nostramque salutem,
 78 motus amore hominum, quod facis, omne facis.
 79 Haec miranda mihi ne turbet daemonis astus
 80 foedera ; nec rabies nos Acherontis agat.
 81 Oscula captemus tua suavia, dulcis Iesu :
 82 posse tuo nobis da recubare sinu.
 83 Nuntia ceu fuerat pecudum vox prima magistris,
 84 Virgine quae natum te tulit esse Deum :
 85 sic dignos meritis quoque suffice, Christe, ministros ;
 86 qui, quae sectentur, dogmata pura serant.
 87 Da populi Proceres veri justique tenaces ;
 88 sit procul a templis rixa, proculque foro.
 89 Denique cum veteri pro consuetudine lux haec
 90 anni principium fecerit esse novi :
 91 vota damus, gemitusque damus, gemitusque iteramus ;
 92 fraternalis facilis, suscipe, Christe, preces.
 93 Sit veniens nobis o felicissimus annus,
 94 sint procul a nostro fata sinistra lare.
 95 Collige nos inter tibi semina pura pusillos,
 96 nec temeret reprobus caelica sacra furor.
 97 Caesaris imperium, quod Musis praemia sistit,
 98 floreat ; et vigeat Caesaris aula diu.
 99 Turcica rumpatur rabies ; nomenque Tyranni
 100 intereat : populus te colat inde tuus.
 101 Sit fecundus ager, fugiant contagia pestis ;
 102 et junctim crescant templa, theatra, scholae.

DE NOMINE IESU.

P2_02 v.1 Verte stylum, mea Musa ; procul mundana recedant,
 2 cedant a calamis nunc leviora tuis.
 3 Jam neque pro laetis modulis gratabere amicis ;
 4 nec dictura frequens versibus ibis, Ave.
 5 Carmine lugubri non fata sinistra dolebis :
 6 ad Proceres nec jam ducet arundo preces.
 7 Non supplex mea vota feres ad Caesaris aulam ;
 8 nec mihi difficilem sollicitabis opem :
 9 legibus haud metricis sapientum dicta virorum
 10 involves : nusquam buccina laudis eris :
 11 non hilari accipies nascentum festa sonore :
 12 nec lacrimas dabimus, quas ciet aeger amor ;
 13 sed veteri graviora modo meditabimur : aether
 14 materiam auspiciis praebuit ecce novis !
 15 Namque dies micuit, quo guttula prima cruoris,
 16 pro nobis nostra proque salute cadit.
 17 Quis fundat, quaeris ? Teneris ex artibus infans,
 18 infans matre miser Virgine, patre Deus.
 19 Cesso hic, tanta meam superant mysteria mentem :
 20 mater homo est, nullo sed temerata viro.
 21 Hic ubi vix, quam sors humana humanitus offert,
 22 octo dies alma luce potitus erat,
 23 se circumcidit patitur, pro more vetusto,
 24 et Jesum aligeri, Patre volente, vocant.

25 Dic igitur Jesu carmen de nomine Musa :
 26 quid distet reliquis illud, et unde gerat.
 27 Sunt quibus hoc nomen fuit olim ; Josua, Mosis
 28 successor, simili nomine dictus erat.
 29 Tuque sacerdotem tali de nomine magnum
 30 Zacharia, scriptis ante fuisse doces.
 31 Non tamen aeternam populo hi struxere salutem ;
 32 sed peritura fuit, si fuit illa salus.
 33 Josua deduxit Cananaea per arva fideles.
 34 Exigua illa salus, si meditaris, erat.
 35 Post hos, Syracides dictus cognomine Jesus,
 36 contulit e multis ethica multa libris.
 37 Sint haec magna quidem et magni pendenda : sed illa
 38 non Christi summis aequiparanda bonis.
 39 Virginis ac divum soboles, cui sidera rorant,
 40 sola mihi Jesus, sola Redemptor erit.
 41 Non hominum ratio, sed Patris diva voluntas
 42 nomen id ante dedit, quam vagus orbis erat.
 43 Angelus hoc nobis sacrata voce revelat,
 44 et certa dici de ratione monet.
 45 Una salus miseris datur hoc ; ut crimine liber
 46 vivat homo, et verae gaudia lucis agat.
 47 Nam licet a cuncto sanentur corpora morbo ;
 48 non tamen est nobis vera putanda salus.
 49 Pectora peccato quod si releventur ab omni,
 50 ista salus demum crede perennis erit.
 51 Nam quicumque fuit maledicto a crimine liber,
 52 nil huic vel morbus, pauperiesve nocet.
 53 Hunc neque tot gradibus mors impetuosa movebit :
 54 solo etenim Jesu nomine salvus agit.
 55 Qui non salvus erit solius nomine Jesu,
 56 nil hunc fluxa salus divitiasque beant.
 57 Nulla profanorum moveat me cura bonorum,
 58 caelestis deceat sed diadema domus.
 59 Sic ego salvabor ; sic mens et vita valebunt :
 60 sic mors, sic furiae nil nocuisse queunt.
 61 Adde et Calliope, quibus hic sit missus in orbem :
 62 mortifero quosnam liberet ille jugo.
 63 Non aliena quidem Messias agmina curat,
 64 sed sibi devote membra caduca fovet.
 65 Grex alienus is est, qui nescit credere dictis ;
 66 quiique redemptorem nescit amare suum.
 67 Sed vera quicumque fide complectitur ipsum,
 68 ille Dei populus cur reputetur, habet.
 69 Crede modo Christi verbis, sacra jussa capesse :
 70 si ratio pugnat, sufficit ; "autos epha".
 71 Qua ratione suos divina propago tuetur ?
 72 Fallor ? An ex merito, crimine liber agis ?
 73 Non ita ; sed Christi merito Patris ira recessit :
 74 salvifica Christi morte repensus homo est.
 75 Hoc verae fidei qui nixus robore perstat,
 76 vivet, et in media morte beatus erit.
 77 Namque bonis nomen Jesu bona plurima confert :
 78 De caelesti homines nempe salute docet.
 79 Non aliud nomen sub caelo restat in orbe,
 80 in quo nos salvos jusserit esse Deus.

81 Nominibus reliquis merito paeponitur unum,
 82 quo semel audito flectitur omne genu.
 83 Angelus e caelo veram conferre salutem
 84 nescit ; at a Jesu vera petenda salus.
 85 Quisquis in hoc dulci, spe firma, nomine credit,
 86 salvus hic, inferno liber ab hoste, manet.
 87 Nil externa tamen genuum subjectio prodest,
 88 ni mens se flectat, flexio nulla juvat.
 89 Ergo Salvator Jesu suavissime salve ;
 90 mente tibi pura carmina fusa cape.
 91 Sis clemens famulae, peccata remitte ; gubernas
 92 affectus, sensus, ora manusque tibi.
 93 Ut tibi semper agam, Jesu, pro munere grates,
 94 inque meo officio jussa fidelis agam.
 95 Sis mihi Salvator vere, dulcissime Jesu :
 96 fac, quod in orbe cano, sic super axe canam.

DOMINICA LAZARI IACENTIS ANTE FORES DIVITIS.

P2_03 v.1 O aeterne Deus mirandi rector Olympi,
 2 qui subjecta cupis nos tua membra cruci ;
 3 ah turbae miserere tuae, quae spreta Potentum,
 4 te paciente, Ducum nunc jacet ante fores.
 5 Tu Samaritanus mihi sis ; mea vulnera succis
 6 unge ; salutiferam ferque misertus opem.
 7 Et quia principium vitae caelestis in ista
 8 firmare innocuos per mala mille jubes ;
 9 da benefactores, qui saucia vulnera lingant,
 10 qui nos officiis, qui pietate juvent.
 11 Durima flecte etiam variorum corda Midarum,
 12 queis sunt divitiae spesque fidesque suae.
 13 Ut loca, quae torquent animos, meditentur : ibidem
 14 ne cum damnato divite forte luant.
 15 Da revocati ineant aevi melioris ut annos ;
 16 et verbi capiant jussa verenda tui.

IN DIEM QUO FIT RECORDATIO S. ANDREAE APOSTOLI, FRATRIS PETRI.

P2_04 v.1 Christe, Dei soboles, nostrae spes una salutis,
 2 ex memori grates pectore reddo tibi ;
 3 de genere humano quod sanctum colligis agmen,
 4 cui cedat regni parta corona tui.
 5 Ipse tui repetis promissa subinde favoris ;
 6 deque tui vera cognitione doces.
 7 Quin et continuo das sanctos, Christe, ministros,
 8 ordine, quos flatu perpetuante foves.
 9 Demissus tandem caelo, mortalia sumis
 10 membra ; tuaque imples morte salutis opus.
 11 Dum laxas veteris violenta repagula legis,
 12 consumans jussus foedera dura tui.
 13 Denique divina bis senos voce ministros,
 14 quos veri testes exigis esse, vocas.
 15 Ah, precor, hanc lucem veri tueare, Redemptor ;

16 et serva populo dogmata pura tuo.
 17 Da quoque sanctorum vestigia tuta sequamur
 18 rectius in vita, relligione, fide.
 19 Non his divinum stolidi tribuamus honorem :
 20 soli namque tibi competit omnis honos.
 21 Cura, habeat sanctos Ecclesia sancta magistros,
 22 qui verbi fundant balsama dia sacri,
 23 quique tuum per prata gregem viridantia ducant,
 24 limpida ut e gelido fonte fluenta petat.
 25 Donec ad astricolas pia turba vocetur alumnos ;
 26 et tibi conficiat perpes honore melos.

MORTEM NON GUSTABUNT.

P2_05 v.1 Non fratres inter tantus fuit ardor amantes,
 2 quos decepta tulit Leda furore Jovis :
 3 quanto hominum mitis flagrabat amore Redemptor,
 4 qui Deus, et puro corpore purus homo est.
 5 Mutat enim Pollux caro cum Castore vitam
 6 fratre suam ; certa condicione tamen.
 7 Alter ut alterius moriatur origine vitae :
 8 Dumque hic surgit equis, ille feratur aquis.
 9 At vitam, alterius Christus sine morte perennem
 10 obtinet, electis et dat habere suis.
 11 Vivus ovat ; non te mors illius ergo fefellit,
 12 ne pereas, sed eas per supera, ille perit.
 13 Omnia qui tecum victurus saecula, solus
 14 expertem stygiae te facit esse plagae.

DISSOLVI CUPIO.

P2_06 v.1 Quid mea mendosae laceratis pectora curae ?
 2 Praevaleat stimulis nil caro blanda suis.
 3 Nil sapiat, stupidi quod amat dementia vulgi,
 4 et falso summum quod putat esse bonum.
 5 Dissolvi cupio vitae melioris amore :
 6 nam bene velle sat est, et potuisse mori.

QUIS DABIT CAPITI MEO AQUAM ?

P2_07 v.1 Triste quis irroret caput ? Aut quis noxia fonte
 2 lumina, sed numquam deficiente, riget ?
 3 Me vitia ut noctes mea flere diesque viderent,
 4 quo valeam iratum conciliare Deum ?
 5 Hoc mihi nulla dabit vis morti subdita ; mortem
 6 pro me qui jugulas, hoc mihi, Christe, dabis.

VITA AERUMNOSA MORTE ACERBIOR.

P2_08 v.1 Sidera qui valido suffulcit tergore Atlantem
 2 tam duro nullum pondere pressat onus
 3 quam corpus mentem ; quae luctibus anxia anhelis

4 eximi ab angusto carcere carnis avet.
 5 Sed mora multiplicat mortis tormenta cupitae,
 6 et moritur, quoties vivere quemque piget.

MORS EST, MERUISSE MORTEM

P2_09A v.1 Si meruit mortem, quid vita in corpore languet ?
 2 Si non, morte gravi cur graviora fero ?
 3 Aequa sunt poenae et crimen pendenda bilance ?
 4 Haec non, vulneribus fortius illud erit.

IDEM.

P2_09B v.1 Si scelus est mortis, cur vitam poena remordet ?
 2 Culpa mori causa est, poenaque velle mori.
 3 Res gravis est, leto crudeli malle perire :
 4 mors igitur justis pendet utrimque modis !

SUSTINE.

P2_010 v.1 Sis vitae et sortis patiens praesentis ut illam
 2 possideas, quae te fine soluta beet.

ABSTINE.

P2_011 v.1 Sis noxae et turbae fugiens scelerantis ; Alastor
 2 ne te tartariis exagitet colubris.

MEDIOCERITAS.

P2_012 v.1 Ne me divitiae tollant, neque mergat egestas :
 2 in medio statuas me, bone Christe, loco.
 3 Ne, quod agit reprobus, spernam tua nomina, fastus,
 4 nec quaeram, furum more, fugare famem.

DIVITIAE LUBRICAE.

P2_013A v.1 Quid peto divitias irritamenta malorum ?
 2 Ad peccata viam, cur ego sector opes ?
 3 Omnia si subito perimit fortuna tumultu,
 4 gaza quid est ? Pulvis ; pulveris umbra ? Nihil !

IDEM.

P2_013B v.1 Stulta quid exspectem, quae praestat munera, Pluto ?
 2 Quid fatuae placeat gloria vana morae ?
 3 Rarius haec prosunt, obsunt magis : illa beatis
 4 quae sunt stultitiae, sint mihi divitiae ?

ALIUD.

P2_013C v.1 Ut surgunt viridi flores radice virentes ;
 2 et succo faciles deficiente cadunt.
 3 Fortunae haud aliter fulgentia dona rotatu
 4 emergunt, subita et mobilitate ruunt.

PUBLICA CORRUPTELA.

P2_014 v.1 Ut minus est facinus calicem infecisse veneno
 2 uni qui tantum letifer haustus erit ;
 3 fontibus impurum nitidis quam spargere virus,
 4 pluribus unde latex exitialis eat :
 5 sic qui privatae suerit succumbere culpae,
 6 non scelus in tantum se sceleratus agit ;
 7 quam qui consiliis reges delenit iniquis,
 8 queis populo interitum, perniciemque parat.

ELEEMOSYNAE.

P2_015A v.1 Est in divitiis talis natura caducis,
 2 quod docet a primo fama suprema die.
 3 Ut jactae nuda sterilis telluris arena
 4 augmento fructus uberiore ferant ;
 5 quam tibi si fundo glebae pinguis opimo
 6 disserat has sollers ac operosa manus.
 7 Nam superi referunt, si quid donatur egeno,
 8 gaudet is, et magni muneric instar amat.
 9 Sed Diti quidquid tribuis, tribuendo peribit :
 10 nemo erit acceptam qui memorabit opem.

ALIUD.

P2_015B v.1 Obtingunt cupidis quae alieno munere votis,
 2 si tua credideris sola ; aliena rapis.

COMMUNIO BENEVOLENTIAE.

P2_016A v.1 Luna velut terras illustrat lumine, fratris
 2 quod de parte sui nobiliore capit :
 3 munera sic fuerint tibi quas collata superne,
 4 cum sociis debes participare tuis.

VEL.

P2_016B v.1 Non secus ac Phoebi quidquid de lumine Phoebe
 2 haurit, inexhausta grata refundit ope :
 3 sic quae sollicitis hominum sunt redditia votis,
 4 illa putent inopi distribuenda lari.

MUTUI VIS.

P2_017 v.1 Exigit injuste, qui munera reddere nescit ;
2 dum, dare quod renuit, poscit avara manus.

LEX TALIONIS.

P2_018 v.1 Quod tibi vis, aliis quid idem tu invideris idem ?
2 Quae vis esse aliis, crede futura tibi.

AVARI SORS.

P2_019 v.1 Scitu haud difficile est, miserum quid reddat avarum ?
2 Scilicet hic proprii est propria causa mali.
3 Quod negat ille suis namque invidiosus amicis,
4 hoc cruciat mentem nil ut habere putet.

AVARUS QUOMODO CAPIATUR.

P2_020A v.1 Quam facile argueris (parili nisi labe laboras)
2 cui vafra nummi agitat corda sinister amor.
3 Respice quid desit tibi ; vel quoniam alter abundet
4 criminis : num facias, quae fugienda tibi.

IDEM.

P2_020B v.1 Nosse levi cautum studio si quaeris avarum :
2 neveris, a simili ni modo laesus eris.

AVARUS MORTE SE LUIT.

P2_021A v.1 Non nisi lanificis cum solvit jura deabus
2 dignum opera pretium dira Eriphylla facit.
3 Namque sibi atque aliis quod debuit hactenus, illud
4 vermibus, ac terrae solvit item barathro.

IDEM.

P2_021B v.1 Nil bene avarus agit, finem nisi ponat agendi,
2 reddat et instanti debita jura neci.
3 Quod nulli prius, en nunc credere cogitur omni ;
4 incustoditum et deseruisse penum.

AVARUS 'CHAIREKAKOS'

P2_022 v.1 Qui sapit, alterius damno gemit : ille triumphat,
2 auri quem nimii dira cupidio premit.

AVARO QUID OPTES ?

P2_023 v.1 Nil optes melius, quam serae saecula vitae,
 2 his, qui divitias Numinis instar habent.
 3 Nam venter Deus est, Caelum arca, moneta voluptas :
 4 quae si fata negant ultima, nullus erit.

FIDES DIVITIIS POTIOR.

P2_024 v.1 Magnificis superes Croesumque Midamque metallis :
 2 nullius, ni sis mente fidelis, eris.

GRATIA ULTRONEA.

P2_025 v.1 Est virtutis opus, memori si mente capessis,
 2 quod cito quis, quod item conferet ultro tibi.
 3 Qui cito dat, munus tibi tradit, pectora sancit :
 4 efficiat meritum gratia bina duplex.

DIVERSA DIVERSIS.

P2_026 v.1 Nostra placent aliis ; et nos aliena probamus.
 2 Sic diversa hominum mens tenet omne genus.

INEVITABILE FATUM.

P2_027 v.1 Ecquis aberrabit decretae a limite sortis,
 2 quippe ea, ceu vallo, cingere quemque solet.

FATUM MUTABILE.

P2_028 v.1 Sic est. Fata quidem sua cuique : sed illa serenat,
 2 si mala sunt, pietas ; sin bona, culpa gravat.

INDULGENTIA FORTUNAE.

P2_029 v.1 Crede mihi, quibus est fortuna subinde secunda,
 2 hos solito insipidos reddere more solet.
 3 Dulce velut blandis modulatur vocibus auceps,
 4 cum vafer incautas fallere tentat aves.
 5 Callida sic simulat vultus fortuna serenos,
 6 ut miseros laqueis captet iniqua suis.

INTEGRITAS ACCUSATA.

P2_030 v.1 Quando Hyas inducit nimboso nubila caelo,
 2 sol radiis penetrans discutit illa suis :
 3 sic ferus innocuos livor si quando lacescit,
 4 per propria exstinctis viribus arma perit.

CUM EBRIO NON LITIGANDUM.

P2_031 v.1 Absenti nocuit praesens, qui laeserit illum,
2 cui domuit Semeles sensa gravata puer.

TEMERARIUM JUDICIUM.

P2_032 v.1 Rem qui judicio temere castigat inepto,
2 quod longum doleat praecipitanter agit.

SUSPICIO SINISTRA.

P2_033 v.1 Suspicio in partem semper mage firma sinistram :
2 at solet in dextram tardior esse fides.

ADULATOR.

P2_034 v.1 Ut cum lapsa diu per ripas unda reclives,
2 tandem in rugosa se cohiebit humo :
3 Non secus ad dubiam Parasitus pendulus auram,
4 explorat cunctas circumeundo vias :
5 dum penitas animi partes, quibus obvia noxa est,
6 tentat, et in venas pectoris usque meat.

IUDAeus MERCATOR.

P2_035 v.1 Merces atque fidem mercator vendit Hebraeus :
2 turpi adeo geminum captet ut arte lucrum.
3 Fallitur ? An socios versutus inescat inertes,
4 cui faciunt quaestum merx, violata fides.

DE HUMILI ET SUPERBO.

P2_036 v.1 Ceu fulmen penetrat ferrum, marmorque resolvit :
2 cera sed ut liquefit, quae fuit ante, manet.
3 Sic etiam Divum prosternunt sceptralia superbos :
4 ast humilis supero tutus ab igne latet.

ANIMUS DISTRACTUS.

P2_037 v.1 Civica confundunt si motibus arma cohortem,
2 num felice potest illa quiete frui ?
3 Sic animus qui se curarum mole fatigat,
4 commoda compositae pacis habere nequit.

CALAMITAS RUMORI OBNOXIA.

P2_038 v.1 Quilibet ad miserum rumor casum assequitur vim,
2 et plus, quam verum, livida fama valet.

FAMA.

P2_039 v.1 Laudatus fuerit quicumque a laudis egente,
2 huic decus exiguum gloria vana feret.
3 Sed si te celebret, quem reddit fama celebrem,
4 nomine non tacito, laus tua major erit.
5 Alterius merito est laudatus buccina laudis,
6 nominis ignorans attenuare decus.

IN ALBUM SUI DN. JOH. LEONIS. VIRTUS SOLA NOBILITAT.

P2_040 v.1 Fortunas et opes jactasse, et nomina avorum,
2 est desperatae condicionis opus.
3 Clarius aeterna mihi nobilitate coruscat,
4 quem celebrem pietas, ingeniumque facit.

LAUS PERENNIS.

P2_041 v.1 Laus tibi quae multo nomen splendore decorat,
2 ni fuerit meritis continua novis ;
3 deperit, ut fluvius rivis decrescit ademptis :
4 et plane exhausto currere fonte nequit.

SERA ADMONITIO.

P2_042A v.1 Stringentes frustra demum ori subdis habenas,
2 cum celeri sonipes eripit ungue fugam.
3 Sic si consilio, cupias cohibere ruentem,
4 nil agis, et lapso pharmaca vana paras.

IDEM.

P2_042B v.1 Ceu prius adjungis nodosa capistra caballo,
2 quam rapidus campi per sola carpat iter.
3 Sic firma trepidum ductu rationis amicum
4 ante, fero praeceps quam ruat interitu.

IDEM.

P2_042C v.1 Si vis quadrupedem caute cohibere ferocem,
2 tuta prius freno, quam furit, ora premas.
3 Et cupis in portum revocare salutis amicum ?
4 Admoneas : mediis ne mare mergat aquis.

INGENIUM PRAECOX.

P2_043 v.1 Si vini sapor est mollis, placidusque recentis,
 2 acrior, aut pejor, cum veterascat, erit.
 3 Sic quoque, quae primis est praegnans floribus aetas,
 4 viribus obtusis tabet adulta magis.

INGENUO INDIGNISSIMA SERVITUS.

P2_044 v.1 Exosum ingenuo duris parere lupatis,
 2 libera mens horret tradere colla jugo.
 3 Nam male convenient duo re contraria in una !
 4 Et quo saeva modo vincula liber amet ?

NOXIA ANIMO REMISSIO.

P2_045 v.1 Si nimium intendas fragilis vi rumpitur arcus :
 2 si laxes animum, solvitur ille, tuum.

PRUDENTIA.

P2_046A v.1 Provida cognovit si mens fugienda vereri,
 2 plerumque elabi tutius illa potest.

DE EADEM.

P2_046B v.1 Sedulus observes quidquid deperdere possis :
 2 effugies cauto sic mala damna pede.

DE EADEM.

P2_046C v.1 Provideat sapiens alienis damna periclis ;
 2 quae fuerint alias experiunda sibi.

CONCORDIA.

P2_047 v.1 Auget amor vires, consensu et firmat amici :
 2 dissensus magnas dilapidavit opes.

MORES AETATI CONGRUI.

P2_048 v.1 Caesariem dicunt, qui vestit callidus ; aptum
 2 aetatis specimen denotat ille sua.

DOLOR ATHYMOS.

P2_049 v.1 Luctibus implicitae vix dignum est credere menti :
 2 fertur enim in varias acta dolore vices.

AMOR INSIPIENS.

P2_050A v.1 Et sapere, et stolidi sensisse pericula amoris,
 2 vix est concessum, qui parit illa, Deo.

IDEM.

P2_050B v.1 Et malesana Venus, rerum et sapientia victrix
 2 vix in divino pectore conveniunt.
 3 Est in amore furor, qui lumina mentis obumbrat ;
 4 qui facit et summos desipuisse viros.

IDEM.

P2_050C v.1 Novit amans amens cupidis quid mens sua votis
 2 optet : quid sapiat, non videt ullus amans.

AMOR FEMINEUS.

P2_051A v.1 Femina quando palam nullo velamine peccat,
 2 apta magis socio dicitur esse viro.
 3 Vitare aut poterit deprendere aperta maritus :
 4 certaque praevisi damna cavere mali.

ALIUD.

P2_051B v.1 Aut amat, aut odit mulier ; non tertia vis est
 2 ulla : sed haec magni criminis ausa putet.

AMOR SUSPICAX.

P2_052A v.1 Plurima laesus amor falso sibi nomine fingit.
 2 Nam cui caecus amor, dux quoque caecus erit.

IDEM.

P2_052B v.1 Stertenti ut subolet, vigilans quoque somniat idem,
 2 mollia cui blandus pectora mulcet amor.

AMORIS OFFENSI REDINTEGRATIO.

P2_053A v.1 Gratia in ingratas si quando dissilit iras,
 2 cura has obsequiis debilitare tuis.
 3 Adde preces ; pretium, ni sufficit, adde vel imas
 4 immitem quae animum mitificant lacrimas.

VEL.

P2_053B v.1 Si cupis iratum compescere rursus amantem,
 2 iracunda tuis corda riga lacrimis.

SOLA DIUTURNITAS AMORIS VICTRIX.

P2_054A v.1 Non potis est Cyprias abolere potentia flamas,
 2 longa tamen poterit quas hebetare dies.

IDEM.

P2_054B v.1 Spernit flamma minas, sed cedere cogitur aevo :
 2 major et est magna vi revoluta dies.

NASCITUR VOLUNTARIUS AMOR, NON DENASCITUR.

P2_055 v.1 Sumitur arbitrio mentis, non ponitur ignis.
 2 Aptari frenum nec sinit ille sibi.
 3 Quaerere materiam facile est, sed demere vires
 4 difficile, et certum figere posse modum.

AMOR ERGA PARENTEM.

P2_056 v.1 Si justum dederit tibi sors, venerare parentem ;
 2 sin minus, hunc placido pectore ferre decet.

TURPE SENILIS AMOR.

P2_057 v.1 Est teneris fructus, sed turpe senilibus annis
 2 ferre Cupidineo subdita colla jugo.

TURPIS ANILIS AMOR.

P2_058 v.1 Femina grandaevis cum ludit inutilis annis ;
 2 illecebris Mortem pascit inepta suis.

REMEDIUM AMORIS.

P2_059A v.1 Qui rapidos animis flagrantibus incutit ignes,
 2 dum modo vult, idem hos extenuare potest.

IDEM.

P2_059B v.1 Qui grave pectoribus vulnus geminavit amoris,
 2 noverit et medicas applicuisse manus.

IDEM.

P2_059C v.1 Qui tacitas venis prunas admovit, easdem
 2 solus Apollinea tollere novit ope.

AMICI VITIA SI FERAS, FACIS TUA.

P2_060 v.1 Qui vitium auscultat tacitus peccantis amici,
 2 nec monet errantem, si qua monenda videt ;
 3 peccat et alterius maculat se crimine ; visus
 4 dum tacet, erroris probra probare simul.

AMICORUM DELECTUS.

P2_061A v.1 Non licet, ut teneros tentes paeponere mannos
 2 magnanimis, longus quos terit usus, equis.
 3 Sic quoque fas veteres est antetulisse sodales :
 4 nempe tibi junxit quos diurna fides.

DE EODEM.

P2_061B v.1 Sors optata parat, probat irrequieta sodales :
 2 quos parat haec, raro comperit illa bonos.

AMICITIA VIOLATA.

P2_062A v.1 Ut si quando adamas contritus robore ferri
 2 particulas sparsim rumpitur in minimas.
 3 Sic ubi rixosos inimicat Erynnys amicos,
 4 atque initum solvit foedus amoris Eris :
 5 scinditur in varios sibi mens contraria sensus,
 6 inque odium transit, quod fuit ante favor.

DE EADEM.

P2_062B v.1 Dissociat socias, leviuscula recula mentes :
 2 littera "eros" differt : corrigere, fiet "eris".

FELICITAS INFELIX.

P2_063 v.1 Assuetudo homini quam pessima sortis amicae :
 2 nam quibus usus eras, est caruisse dolor.

FABULAE QUAEDAM AESOPICAE.

LEO AC RANA.

P2_064 v.1 Vox Ranae fuerat delapsa Leonis ad aures,

2 Ranae, quae in pigro garrit inepta lacu.
 3 Ille diu attonitus, nescit quae bestia rauco
 quodve animal tantos evomat ore sonos.
 4 Exserit at tandem faucem ambitiosa loquacem ;
 saltat, et in sicco voce coaxat agro.
 5 Quam Leo cum vultu spectarat forte superbo,
 advolat et querulam protinus ungue terit.
 6
 7
 8

CASSITA SOLA.

P2_065 v.1 Aucupis insidiis haerens Cassita dolosis,
 miratur, quaenam sit sibi causa necis.
 2 "Hei mihi, flens clamat, quae tanti causa doloris ?
 3 Hei mihi, quam me sors exitialis habet ?
 4 Num quia per vetitas furtim irrepisse fenestras,
 5 aut soleo alterius me satiare bonis ?"
 6 Hoc praeter nihil est, si haec quidquam culpa meretur :
 7 dignave quis Cereris granula morte putat.
 8

SUS ET CANIS.

P2_066 v.1 Non levis (at quondam) discordia contigit inter
 saetigeramque suem, sollicitamque canem.
 2 Nam sus fecundam se grunnit iniqua ; vocari
 vult sue fertilior fertiliore canis.
 3 Tandem illa haec referens : Quid criminis evomis ? inquit ;
 4 an non ut furiat mens tibi casca, vides ?
 5 Nam fetus generas misere tu lumine cassos,
 6 dum cupis, ut proles sit numerosa tibi.
 7
 8

COLUMBA ET TABULA PICTA.

P2_067 v.1 Ex nimio multum sitiens ardore columba
 viderat appensam parietibus tabulam ;
 2 hydria qua fuerat tam vivo picta colore,
 et specie falsum dissimulante liquor.
 3 Unde sinistra suis circumdans pocula pennis,
 optatae infelix approperavit aquae.
 4 Et pictam contra praeceps allapsa tabellam,
 collisa periit praecipitata gula.
 5
 6
 7
 8

ANSERES ET GRUES.

P2_068 v.1 Quae poterant volucres arcem servare Quirini,
 et magna junctae vi Palamedis aves ;
 2 jugiter in prato fusae pascuntur eodem ;
 seculo et peragrant laeta vireta pede.
 3 Forte canis Meleagreos venaticus apros
 comminus insequitur per juga, perque nemus :
 4 plumigerosque greges subiti invasere timores,
 devia dum replent vocibus arva canes.
 5 Strymoniae unde grues leviter motantibus alis
 6
 7
 8
 9

10 eripiunt subitis se, fugiuntque minis.
 11 At (dolor !) anseribus multo conamine nixis
 12 pinguia non licuit membra levare solo.
 13 Corporis obstabat dum debile pondus obesi
 14 aeriumque alis impediebat iter.
 15 Faucibus apta canum rapidis hi praeda, repente
 16 robore devicti procubuere suo.

AQUILA ET TESTUDO.

P2_069 v.1 Si quid fama valet, brutis felicior olim
 2 vita sodalitii foedera firma tulit ;
 3 tarda ubi velocem affata est testudo volucrem,
 4 fulminea irati quae Jovis arma gerit :
 5 "Tu quae nubivago veheris trans astra volatu,
 6 et penna tentas aethera, tuta levi,
 7 accipe reptantem me inviso pulvere testam ;
 8 quo mea vile pecus calcibus ora terit.
 9 Affer opem, docilesque leva sublimior alas,
 10 meque per aetherias duc studiosa vias."
 11 Dixerat his contra surgens Jovis ales : "Abi, inquit,
 12 quid quereris ? Quae te mens male sana rotat ?
 13 Plura pudor posthac vetet addere ; vana precaris :
 14 implumis superos visne ferire polos ?
 15 Pondere quei testae tardantis onusta molesto
 16 absque alis, leni sustineare Noto ?"
 17 Reptilis ac vermis monitus contemnit amicos :
 18 et volucris fieri nil doliturus avet.
 19 Semper idem repetit : meditatur ad aethera ; caelo
 20 ludere convexo concava testa parat.
 21 Et rogit, et queritur, testudo, donec ineptis
 22 se facilem precibus Regia praebet avis.
 23 Dumque illam rostro deprensam tollit adunco,
 24 metitur cursu climata celsa comes.
 25 Denique sublimem diffusas ducit in auras,
 26 et jubet, ut reliquum sola capessat iter.
 27 Aetheriis late testudo credita campis
 28 ignota indocili visitat astra pede.
 29 Pondere cedentem sic flebilis aera cogit,
 30 ut nil praecipitem detinuisse queat.

DE PULICE ET MILITE.

P2_070 v.1 Pulicis interdum est audacia magna pusilli :
 2 aevo si veteri sit tribuenda fides.
 3 Fama refert, illum pulsa formidine, quondam
 4 saltibus intrepidis insiluisse pedi
 5 militis eximii, multorum caede cruenti ;
 6 quem voluit stimulis exagitare suis.
 7 Unde etiam hic tremulo gemibundus pectore, Numen
 8 Herculeum voto flebiliore vocat :
 9 suppetias misero ut veniat ; viresve ministret,
 10 aut acres morsus, saevitiemque domet.
 11 Negligit Alcides nequ quam vota ferentem,

12 ridiculis renuens edere rebus opem.
 13 Jamque adeo observans nullam restare salutem
 14 haesitat, ambiguus mentis, opisque carens.
 15 Dum tandem adductus pulex maerore precantis
 16 aufugit, atque alium quaerit in aede locum.
 17 Haec ubi facta : imo suspiria pectore ducens
 18 miles iners, tremula talia voce refert :
 19 "Tu qui pugnaci virtute domare rebelles,
 20 imbelliesque soles fuste juvare viros,
 21 si contra exiguum non fortius iveris hostem,
 22 quid sperem, si me nunc graviora gravent ?"

IN SYMBOLAM WESTONIAE AUCTORIS. SPES MEA CHRISTUS.

P2_071A v.1 In te, Christe, mihi spes derivata recumbit,
 2 sed ne confundant me mala tot, fer opem :
 3 non ego imaginibus confido, nec arte ; salutis,
 4 quam spero, certae nil mihi praestat homo.
 5 Tu spes, tu mea res, meus es, per saxa per ignes :
 6 si vis esse, sequar per freta ; si esse jubes
 7 per freta, freta tuo munimine vinco : petitis
 8 certa, vel hic, summi vel patris aede tui.

IN EANDEM.

P2_071B v.1 Praeteritae dolor est vitae, revocare tumultus ;
 2 praesentis vanum est condicione frui.
 3 Immo futurorum spes calvitur anxia : passim
 4 illecebris plenum est, quidquid hic orbis habet.
 5 Perpetis at restat spes unica Christus asyli ;
 6 sperantem qui non deseruisse potest.
 7 Ergo ad te Jesu dulcissime, fortis anhelem :
 8 spes mea sis, Jesu, sis via, vita, salus.

IN SYMBOLUM GEORGII CAROLIDAE A CARLSPERGA P.L.C. MEMINERIS TUI.

P2_073A v.1 Quam pia Carolides sibi legit symbola vates,
 2 dum studet ac semper vult meminisse sui ?
 3 Scilicet haec pietas et virtus symbola dictant,
 4 officii memores efficiuntque bonos.
 5 Nam memor est quicumque sui et se respicit ipsum,
 6 carpere vicinos non Polypragmon amat.
 7 Sed memor est sacri cultus, sua munera praestat,
 8 non alios laedens scit meminisse sui.

IN IDEM.

P2_073B v.1 Nam memor est quicumque sui et se respicit ipsum,
 2 carpere vicinos non polypragmon amat.
 3 Sed memor est sacri cultus, sua munera praestat,
 4 non alios laedens scit meminisse sui.

IN IDEM.

P2_073C v.1 Si bene te noris, si toto pectore constes
 2 ipse tibi, facias et tua jussa lubens :
 3 non opus est culpes aliorum crimina censor,
 4 quin ut ne pecces sis memor ipse tui.
 1 Nemo alios novit, nisi qui se noverit ipsum,
 2 ut videoas alios, sis memor ipse tui.
 3 Sic ubi te noris ipsum, mala plurima vitas :
 4 ac dices aliis ipse : "memento tui".

IN SYMBOLAM. M. BALTHASARIS EXNERI SIL. P. L. SPERO MELIORA.

P2_074A v.1 Qui meliora sibi ruituro sperat in orbe,
 2 errat, et optatis gaudia nulla feret.
 3 Sola mihi spes est vitae caelestis ; in illa
 4 his quae speramus, fert potiora Deus.
 5 Munde, vale, nusquam hic spero meliora : sequuntur
 6 spem praeter quovis deteriora die.
 7 Sed spero meliora tamen, cum venerit ille,
 8 in cujus sita sunt tempora nostra manu.
 9 Non ego despero, sed de spe certa, fideque
 10 praestolor redditum, Christe benigne, tuum.
 11 Rumpe moras, et ades ; nos meta suprema resolvat :
 12 his qua terrenis des meliora bonis.
 13 Sic spero meliora, piae quod Regula vitae
 14 Exneria in luctu me meminisse facit.

IN EANDEM.

P2_074B v.1 Quid speras meliora ? Quid est, extrema quod inter
 2 auxilium frustra consiliumque petis ?
 3 Mundus ad occasum properat ; mox omnia finem,
 4 si videoas fastos, sunt habitura suum.
 5 Caelum igitur meditans, quod spero perennia vitae,
 6 commoda, fit, mundus quod meliora negat.
 7 Spes est, si ridens meliora minatur Olympus :
 8 sperantem nescit deseruisse Deus.

DE INUNDATIONE PRAGAE EX CONTINUIS PLUVIIS EXORTA.

P2_075 v.1 Evocat iratos Caeli inclemencia ventos ;
 2 imbreque continuo nubila mista madent.
 3 Molda tumet multum vehemens pluvialibus undis
 4 prorumpens ripis impetuosa suis.
 5 Largaque per latos diffundit flumine campos,
 6 et rapidus siccos proluit amnis agros.
 7 Spumosus, verrit per praeceps omnia gurges,
 8 et misere, insanis cuncta feruntur aquis.
 9 Hinc seges, hinc fructus distracti fluctibus undant :
 10 inde vir, inde torus, feminaque inde natat.

11 Cerne, trabes, pinus, et tecta natantia, cerne ;
 12 volvuntur rapidis prodigiosa vadis.
 13 Saepta procelloso late stant gurgite mersa :
 14 sic alto pereunt omnia mersa mari !
 15 Cymba forum sulcat ; piscis delubra Deorum
 16 contemerat ; refugis fluctibus ara madet.
 17 Astant attonitae, sed veste liquente catervae,
 18 insuetisque dolent cuncta perire malis.
 19 Talis erat facies furibundum cernere Moldam ;
 20 et similes undae Deucalionis erant.
 21 Tu qui monstra freti rabidosve domare furores,
 22 Jhova potes, nutu tot mala merge tuo.

IN ZOILUM.

P2_076 v.1 Zoile, quid laceras rabido mea carmina dente ?
 2 Quid miseram quovis acrius ense feris ?
 3 Nempe parum esse putas mea dicta poetica ? Quod sint
 4 compta minus fuco, quod speciosa minus
 5 danda mihi venia est, si carmina rauca puellae
 6 sint minus ad nasum grata futura tuum.
 7 Bis mihi lustra duo currunt : aetatis in ipso
 8 flore, dolor, curae me, lacrimaeque premunt.
 9 Utque mihi simplex vita est ; ita simplice cultu
 10 gaudeo : nil fuci, livor inique vides.
 11 Quod Latii desit sermonis gratia, noli
 12 propterea gemitus spernere turpe meos.
 13 Scripsimus haec curas inter lacrimasque, fatetur
 14 id gemitu mecum turba novena suo.
 15 Tempus erit forsitan, quo dexteriora sequentur,
 16 has nunc primitias consule, quaeso, boni.

@ ELISABETHAE WESTONIAE, NOBILI ANGLAE.

P2_077A v.1 Angla vel Angelica es ? Vel prorsus es angelus ? Immo
 2 si sexus vetat hoc : angelus est animus.

@ EIDEM.

P2_077B v.1 Non vagor in magni meditans miracula mundi,
 2 hujus dum Methodus, vita pudica tua est.
 3 Te quia dum vidi, obstupui, namque omnia vidi
 4 et quae pictor habet, quaeque habet historicus
 5 et vidi in te plura quidem, quam pictor Apelles
 6 effingat, quam vel disserat historicus.
 7 Tu varias animi dotes, compendia rerum,
 8 humano in speculo, ceu microcosmus, habes.
 9 Nec fictum est quidquam, nihil est quod fascinet, ipse
 10 conditor est index, pictor, et historicus.
 11 Seu mediter mortale tuum, quam rite Creator
 12 clausit in exiguis artibus illud opus ?
 13 Sive decus vitae pereuntis, ut omnia pulchro
 14 ordine disposuit ? Forma beata tibi est.

15 Si memoro natale solum, quae gloria gentis
 16 et quis stirpis honos ? Nobile stemma tuum est.
 17 Et dives fortuna fuit, dum fata sinebant
 18 et forma insignis sorsque genusque tibi.
 19 Hospitium sic dum mortale pererro, notavi
 20 qui foret hoc hospes dignus in hospitio,
 21 majestatem animi reperi, doctrina refulsit,
 22 et pudor, et pietas, et decor omnis erat.
 23 Hic ego, nil inquam est, genus, et fortuna, venustas,
 24 gratiaque in verno pectore fluxa suo.
 25 Gratiior at pulchro residens in corpore Virtus,
 26 Virtutisque comes casta Pudicitia :
 27 rara avis in terris, dixi tamen esse, sed ipsa es,
 28 nil prohibet rarissimum nomen inesse tuum.
 29 Nam te nascentem genetricis ab ubere raptam
 30 nutriit Aonis fons Heliconis aquis ;
 31 Pimpleo tibi rore madent tua mellea labra,
 32 dulceque Nestoreo fundis ab ore melos.
 33 In te conspicimus Venerem cum Pallade, Musas
 34 cum Phoebo, Charitum, Pieridumque choros
 35 singula habent aliae, tu singula et omnia, quo te
 36 compellam : quoniam nomine ! Prodigium.
 37 Prodigium humanum, dium miraculum, et ingens
 38 optati generis gloria feminei.
 39 Sic ego te supra cunctas, in sede locatam,
 40 (ut doctrina locat) carmine condecoro
 41 quam pulchrum est, latitare deam sub pectore dio,
 42 promicat aulaeis, Mens ubi tanta, suis.

@ EIDEMQUE ALIUD :

P2_077C v.1 Aemula naturae Marium muliebris, in omni
 2 laudem promeruit condicione suam.
 3 Fertur Amazonidas, in proelia fortiter arma
 4 concivisse viris, et superasse viros.
 5 Delbora vaticinans Domino deserviit ; alma
 6 Judith, judiciis praefuit et Domini.
 7 Athalia in Regnis Judaeae sedit ; in Indos
 8 Pandarum gentem femina sceptra gerit,
 9 heroum palmas mulier comprehendit, et artes,
 10 masculineque decus, provida fert mulier.
 11 Nulla tamen legitur studio, doctaque Camena
 12 et certasse viris, et superasse viros.
 13 Haec laus sola tua est, Westonia, vincis utrumque
 14 sexum, et te superas laude, velut mulier.

IN DIEM NATALEM DOMINI OSWALDI CROLLII, MEDICI PERITISSIMI.
ELISABETHA JOANNA WESTONIA.

P2_078 v.1 Dum sedeo, varias volvens sub pectore curas,
 2 et quas suppeditat vita caduca vices,
 3 nescio, quo casu, manibus mihi sumpta tabella est,
 4 quae digesta anni singula Festa tenet.

5 Hanc vertens video, Fastis tua nomina poni,
6 in sacro genetrix quae tibi fonte dedit.
7 Luce sub hac igitur, (ne sim male grata faventi :
8 ne benefactorum non memor esse puter.)
9 Versibus Oswaldum paucis, pro more ligandum
10 duximus : ergo lubens vincula honesta cape.
11 Vincula amicitiae, queis jus firmetur ; id unum
12 postulo sic etenim sat mihi vinctus eris.
13 Addo preces vinclis castas : felicibus, opto,
14 auspiciis servent hunc mihi fata diem.
15 Sospite te, faciant haec saepe recurrere lucem,
16 ut clarum reddas nomen in orbe tuum.
17 Aurea sed votis deberent munera jungi,
18 at quae sint miserae dona vel ipse vides ?
19 Nulla mihi jam sunt, praeter mea carmina : carmen
20 do, nectens capiti florida serta tuo.

AD MEDICUM PERITISSIMUM DOMINUM OSWALDUM CROLLIUM.

P2_079 v.1 (Oratio soluta)

NOBILISSIMAE AC LITERATISSIMAE VIRGINI D. ELISABETHAE WESTONIAE POETRIAЕ

P2_080 v.1 (Oratio soluta)

PARTHENICON ELISABETHAE IOANNAE WESTONIAE. LIBER III.

(In hujus libri initio XXXVI epistolae, in oratione soluta sciptae, editae sunt.)

JOSEPHUS SCALIGER IUL. CAES. ELISABETHAE IOANNAE WESTONIAE.

ELIS. IOAN. WESTONIA STEPHANO LESIEUR

STEPHANUS LESIEUR ELIS. IOAN. WESTONIAE

PAULUS MELISSUS FRANCUS AD ELIS. IOAN. WESTONIAM.

ELIS. IOAN. WESTONIA. AD PAULUM MELISSUM FRANCUM.

AD HENRICUM DE PISNITZ PAULUS MELISSUS FRANCUS.

ITEM. AD G. MARTINUM a BALDHOFEN.

ITEM EIDEM.

JOHANNES GE

JOHANNES GERNANDUS AB ELTS. JOAN. WESTONIAH.
ELTS JOAN WESTONIA JOHANNI GERNANDO

L. FEIGHTIUS ELIS. TOAN WESTONIAE S. L.

H. FEINHOLD LINDS. JOHN. WESTONIAE. S. D.
FIDEM

ETIDEM.

E.J. WESTONIA, FEIGHIO S. P. D.
 ELIS. IOAN. WESTONIA, WOLFGANGO GRUNINGIO
 ELIS. IOAN. WESTONIA, ECBERTO MAJO,
 E. I. WESTONIA, IOANNI FRANCISCO WESTONIO,
 IOANNES FRANCISCUS WESTONIUS, E.J. WESTONIAE
 IDEM WESTONIUS EIDEM SORORI
 E. I. WESTONIA, I.F. WESTONIO
 FRANCISCUS WESTONIUS SORORI SUAE E. I. WESTONIAE
 E. J. WESTONIA, MARTINIO BALDHOFIUM,
 EADEM EIDEM.
 EADEM EIDEM.
 EADEM EIDEM.
 EADEM WESTONIA ad EUNDEM BALDHOFIUM.
 EADEM EIDEM.
 EADEM WESTONIA EIDEM BALDHOFIO
 ELISABETA IOANNA WESTONIA AD HENRICUM WALTERUM
 E.J. WESTONIA ABRAHAMO CREMERO Theologo
 E.J. WESTONIA BALTHASARI CREMERO
 E.J. WESTONIA, JOACHIMO SCHLEGELIO

SERENISS. AC POTENTISSL. BRITANIAE IMPERATORI IACOBO I.

P3_01 v.1 Rex Jacobe, Pater patriae, de sanguine Regum
 2 qui natus es Britannico ;
 3 Scotia quem columen felix et Hybernia Regem
 4 herumque praedicat maris ;
 5 cuius in augusto sapientia pectore floret,
 6 in ore Suada cui sedet ;
 7 en genibus supplex flexis Westonia dextram
 8 tibi osculatur Anglicia ;
 9 et tibi gratatur dignos, quos nuper honores
 10 caelestis indulxit Trias.
 11 Haec te etenim Regni solio dignatur eburno
 12 suffragiorum calculis.
 13 Te sors et justis successio debita votis,
 14 regem salutat Anglicum.
 15 Fallor ? An aequoreis, ob honores laetior, undis
 16 Neptunus exserit caput ?
 17 Ecce per immensum Nymphae Oceanitides aequor
 18 choros ovantes integrant !
 19 Conscia laetitiae tellus applaudit ; et ortu
 20 sol laetiore prominet.
 21 Si mare, si tellus, si caeli sidera tantum
 22 sollemnibus praestant tuis,
 23 quid facere humanas par est in carmine mentes ?
 24 Tuique Regni subditos ?

25 Nostra puto, quae sunt communia gaudia Regni :
 26 nobis iisdem fas frui.
 27 Nam licet a patriis procul absim dissita terris
 28 hic in Bohemiae sinu,
 29 Caesar ubi placidas Rudolphus flectit habenas
 30 ad lenta Moldae flumina ;
 31 me tamen haec urget natali commoda terrae
 32 mens grata gratari melo.
 33 Gratabor quantum potero : te sospite sospes
 34 sit Anglicani gens soli ;
 35 sit secura mali, dulcem, te Rege, quietem
 36 suis agat sub legibus.
 37 Gallia mellifluam, nec non Hispania pacem
 38 et Belgium tecum colat.
 39 Mars procul inde, procul ! Coeant in foedera tecum
 40 sub sole utroque Principes.
 41 Ut pia relligio, ut themis, et bona publica fidis
 42 sint sarta tectaque incolis.
 43 Ut sincera fides, animi et constantia nullo
 44 subacta, duret robore.
 45 Audiat hoc, totumque memor mea vota per orbem
 46 gens Christiana comprobet.
 47 Vive diu felix, o Rex, et perge vocari
 48 Pater benignus Patriae.

@ L. FEIGHIUS ELIS. IOAN. WESTONIAE. S. D.

P3_02A v.1 Aurea non potui tuto transmittere, Virgo,
 2 quae potui, mitto, munera sacra tibi.
 3 Quae si grata tuis fuerint, ut spero, Camenis :
 4 dic age, dona placent talia : plura dabo.

@ EIDEM.

P3_02B v.1 Altera quando fuit scripta haec tua littera nobis
 2 traditur, et matris, virgo pudica, tuae.
 3 Quod petitis, mittam, Venetam cum deferar urbem,
 4 venditur in nostra materia illa minus :
 5 nunc rogo, depictam docili speciem arte decori
 6 quam subito vultus mitte, puella, tui.
 7 Quum te non liceat tamen hanc spectare juvabit :
 8 semper et ante oculos te feret ista meos.

@ IANUS DOUSA A NORTWICK ET CATTENDYCK.

ILLUSTRI NATALIUM SPLENDORE, NEC VIRTUTUM MINUS QUAM DOCTRINARUM,
 AC VERAE ERUDITIONIS GLORIA PRAECELLENTI,
 ELISABETHAE IOANNAE WESTONIAE HEROINAE INCOMPARABILI. S.D.

P3_03A v.1 Quo me, Nympha, tui plenum rapis illice Musa ?
 2 Quos vagus in montes, quae feror in nemora ?
 3 Jam mihi jam Bojos videor perrumpere saltus ;

4 qua jacet ad Moldae flumina Praga vetus.
 5 Caesareae modo mirari spectacula pompae,
 6 Westoniam propter quae pretiosa mihi.
 7 Gratia Baldhovio, siquidem illo interprete primum
 8 doctrinae nobis copia facta tuae.
 9 Tempore jam ex illo, postquam tua carmina legi ;
 10 lectaque mi sensus haec rapuere meos.
 11 In quibus haud digitos Charitum modo Triga lavare
 12 sueta suos, verum pectora et ora Venus.
 13 Inter quae suaves nos demulsere tabellae
 14 scriptaque diversis littera temporibus.
 15 Littera, mortalis quam non manus ulla videri
 16 pinxe, sed ipse Lepos, ipsa Sais poterat.
 17 O suada, o nectar, o melle fluentia dicta !
 18 O talis veniat saepius hora mihi,
 19 consimilisque frequens vellat mihi nuntius aurem !
 20 Natali eveniet gratiior ille meo.
 21 Ergo (quod invidiam pariat Caelestibus ipsis)
 22 contigit huic dextrae pignora ferre tuae ?
 23 Hoc mihi contingat ; quibus (o) quibus impiger alis
 24 evehar ad Templi limina celsa tui ?
 25 Quid credam ? Spem nempe idem mihi fecit opimam
 26 haud ingrata tibi haec Carmina nostra fore.
 27 Quae si etiam responso aliquo dignabere (ut ipse
 28 praedicat) o Caeli numina, quantus ero ?
 29 Quod si contigerit, criticos nil deinde morabor,
 30 Westonia tutus vindice Dousiades.
 31 Terra Batava vale : fieri jam Boius opto ;
 32 talis dum Boiae compede vinctus ovem.
 33 Improbulis nimis (ah) votis ignoscito virgo ;
 34 ipse quis, aut ubi sim, vix meminisse lubet,
 35 dumque loquor tecum, videor juvenescere rursus ;
 36 oblitus senii, cum senioque mei.
 37 Est aliquid magno peccare auctore ; Melissi
 38 haec facere exemplo nos quoque vota juvat.
 39 Quid mihi cum Batavis, Lugdunensique Lycaeо ?
 40 Westoniae in Bavarios me rapit aura meae
 41 at tu, o, perge novem numeros augere Sororum :
 42 ingenioque ipsam te superare tuo.

@ AD EANDEM.

P3_03B v.1 Quis nam ita trux, vel tam rigidus Thrax ille, parentem
 2 dote sua haud veritus qui viduare tuam ;
 3 jam viduam ante viro exstincto post vincula ? Plus sat
 4 ex alto (heu) fuerat quem cecidisse semel.
 5 Deripere e summo Divos potuisset Olympo,
 6 cujus mens tantum concipere ausa nefas.
 7 Ille quidem haec ausus ; sed non impune, malorum
 8 si tamen Ultorem credimus esse Deum,
 9 me miserum ; te suada ista, probitate fideque
 10 tot nixam, ac tantis nuper amicitiis,
 11 immeritam, hei, poenas alienae pendere noxae ?
 12 Et dare Kelleae materiam invidiae ?
 13 Nescis, ah, nescis, quanto mihi, Jana, dolori

14 Calliopes fuerit justa querela tuae.
 15 Ingenium hocne aliquis ; neos hoc quod Nectar inundet
 16 sustinet indigna condicione premi ?
 17 Quae potior Cyrrhae promet de fontibus haustus ?
 18 Aptior aut castis verba praeire choris ?
 19 Clarius Aonio cuius vox ibit ab antro ?
 20 Scitius aut Clarium pectine pellet ebur ?
 21 Ergo tibi fuerant cui tot modo commoda ; praeter,
 22 heu, desiderium jam superesse nihil ?
 23 Nec tibi in adversis valuit succurrere Paean,
 24 deque tribus vel de ter tribus ulla Soror ?
 25 Ah, lapis est cui non tua sint lamenta dolori,
 26 perlegat aut siccis qui tua verba genis.
 27 Ipse lapis non sum, praesertim haec talia volvens,
 28 irato excutiant quae sua tela Jovi.
 29 Nec mihi credibile est, quemquam reperirier istic,
 30 quem non, Jana, tuae comminuant lacrimae.
 31 Quippe ita ni fiat, metus est fore ut Elisabethae
 32 unius exsistat publica cura dolor.
 33 Non tibi Majus opem, non stirps Pisnitsa negabit,
 34 non qui de Roseo stemmata Monte trahit.
 35 Jamque diem video ; qua quae tibi fiscus ademit,
 36 et Domui et fundis restituare tuis ;
 37 Caesare fam flexo, quid enim clementius illo est !
 38 Dum modo sic, semper Caesarianus ero.

@ AD VIRUM NOBILISS. VEREQUE ERUDITUM G. MARTINIUM A BALDHOFEN SILESIUM.
 I. DOVSAE NORDOVICIS EPIGRAMMA.

P3_04 v.1 Quae mihi Baldhofi facunde, expensa tulisti
 2 carmina Westoniae nobile vatis opus,
 3 indicia haec Dousae fuerint certissima, quanti
 4 censurae limam fecerit illa tuae.
 5 Nunc super his quae sit sententia nostra, requiris ?
 6 Quid ? Nisi quod solitus dicere Fuscus erat ;
 7 omnia plena Deo ? Quid enim, rogo, cultius istis ?
 8 Aestimet hinc Dousae saecula posteritas.
 9 Aestimet et dicat : uni huic assurgite vates :
 10 doctior in terris nulla puella fuit.

@ ITA PAULLO POST.

P3_05 v.1 Quod tam suave tibi Permessi afflaverit aura
 2 desino mirari Westonis aura fuit.

@ AD EUNDEM.

P3_06 v.1 Baldhovi, cuius studio prodivit in auras
 2 Westoniae tersum pumice vatis opus,
 3 Westoniae, cui casta Venus, cui docta Minerva
 4 it comes, et Tyrios gloria picta sinus
 5 hancne tuis etiam vacuas dare cantibus aures,
 6 teque subinde suis visere Epistoliis ?

7 Felix sorte tua, cui coram audire loquentem
 8 contigit, ac tantae lumina nosse deae.
 9 Rarum erat, Augustae retulisse diplomata cerae,
 10 sertaque Caesarea promeruisse manu.
 11 Rarius, elogio vatis clarere pueriae,
 12 Nogarola cui cedat, et Hippolyte :
 13 cuique ultro ipsa suos submittat Olympia fasces,
 14 doctior haec, nec tam nobilis illa fuit.

@ IDEM AD EUNDEM
PRO VIRGINE DOCTISSIMA IUXTA AC NOBILISSIMA ELISABETHA IOANNA WESTONIA
BRITANNA POETRIA INCOMPARABILI.

P3_07 v.1 Carmina quid valeant, Cilicum de gente poeta
 2 testis erit, sanguis Agesilae tuus.
 3 Cui postliminii non tantum facta potestas
 4 cum Patre, in exilium quem comitatus erat.
 5 Sed pro quoque operis versu statera severi
 6 heredi acceptum rettulit aureolum.
 7 Qui tot ab Augusto pro carminibus donatis
 8 Antoninorum milia contulerit
 9 quid grave si Matri sua, quae possederat ante
 10 praedia, Caesarea restituantur ope ?
 11 An si homini Cilici Caracalla a principe facta est
 12 gratia, et ingenii nomine honos habitus,
 13 Induperatoris in virgine Teutobritanna
 14 Rudolphi favor hic invidiosus erit ?

@ DE EADEM. HEI, QUID AGAM, NISI ID OMNE QUOD VIS.

P3_08 v.1 Duc o volentem, nil hiemis, moror
 2 Decembre frigus ; ibimus, ibimus
 3 deducere hinc te prosequique
 4 Hercyniam ulterius parati
 5 per saxa et ignes ; Westonidae inclutos
 6 visuri honores, deque Britannicis
 7 Pithus novae hausuri labellis
 8 Ausonium bibula aure nectar.
 9 Sat ampla merces haec mihi : lauream
 10 neque anteponam Caesaris huic bono.
 11 At tu, Imperator, confitenti hanc
 12 da veniam sine fraude Vati.
 13 Tuoque jus hoc esse clientulo,
 14 Auguste, pulvinaria apud tua.
 15 Permitte, ut hac in parte Nympha
 16 Elisabeth pari honore tecum
 17 nobis colatur ; quae tibi compare
 18 virtute fulget ; dum subito Enthei
 19 furoris aestu concitatos
 20 suada novos facit Angla vates.
 21 Experta testor Numina : nam simul
 22 afflatus aura Westonidis fui ;
 23 factum inde, ut intermissa Phoebo
 24 institerim reparare sacra, ac

25 desueta pridem plectra resumere
26 foro ejerato etc.

@ VIRO MAGNIFICO AC NOBILISSIMO IANO DOVSAE NORDOVICI
G. MARTIN A BALDHOFN.

P3_09 v.1 Dousa rogat cui danda proco Westonia nuptum ;
2 Musa mihi causas, quod movet ille, dedit.
3 Nempe, quod Aonides numquam Paeana caneabant,
4 nemo, ipsis dotem qui numerasset, erat ?
5 Discipulam ast socio se non dignata Magistro est
6 Musa olim nam vix ordia prima tulit.
7 Deficit illam igitur, quod perficit ista, Poetris
8 nostra, melos Musae quae infit, et implet idem.
9 Quis dotem neget, et meritis nunc praemia rebus ?
10 Doctorem merita est virgo Magistra virum !

@ PAULI MELISSI FRANCI COMITIS PALAT. ET EQUIT. AUR. CIVIS ROMANI MELOS.
AD ELISABETHAM IOANNAM WESTONIAM. CUM EAM LAUREA INSIGNIRET.

P3_010 v.1 Westonin Nympham, decus Anglicarum
2 alloquor paucis. Mea dicta, Cygne,
3 perfer ad clarae populosa velox
4 moenia Pragae.
5 Cum subit mentem tua summa, Virgo,
6 indoles, doctrina, decensque virtus,
7 et probi mores, et amoena dulci
8 carmina vena,
9 par mihi Sapphus genio videris,
10 omnis aut ipsam superare Sappho
11 arte Musea et numeris Latina
12 voce sonoris.
13 Euge quid linguam memorem Britannam,
14 Italiamque et Teutonicam et Bohemam ?
15 Quam sones tu cumque diserta, pol ver-
16 -nacula paret ?
17 Si canas scite fidibus manuque
18 nablium vertas duplici, putaris
19 una de Musis, eadem vel ipsas
20 vincere Musas.
21 Principes magni tibi dona magna,
22 offerant munes, adeoque Caesar
23 ipse gemmato tua cingat ultro
24 colla monili.
25 Donet armillas, teretesque inaures,
26 donet anellos pretiosiores,
27 nobili dignos habitu, tuaeque
28 lumine formae.
29 Quid Palatinus Comes eruditae
30 insuper vati tribuam benignus ?
31 Lauream. Daphnaea tuos decebit
32 laurea crines.

@ IN EANDEM EIUSDEM MELISSI MELOS.

P3_011 v.1 O dia Virgo, Pieridum decus ;
 2 fortuna quaenam te vaga Doridis
 3 procul Britannae vectam ab acta
 4 vasta per Oceani tumentis
 5 profunda duxit Teutoniae in sinus
 6 fixaque pulchrae sede Bohemiae
 7 tutam locavit ? Cura divis
 8 cura hominum generi fuisti,
 9 O eruditum pectus et aureum ;
 10 quascumque in oras candidulos pedes
 11 umquam peregrinans tulisti
 12 advena, te comitavit ultro
 13 novenus ordo Castalii chori,
 14 chorique praeses. Mercurius lyram
 15 lyraeque concentus sonoros
 16 attribuit tibi ; Pallas artes,
 17 mores amoenos Gratia, Suadaque
 18 linguam disertam, sidereos Venus
 19 ridens ocellos. Quis staturam
 20 egregiam, roseosque vultus
 21 et tincta rubris labra coralliis,
 22 frontisque honorem, collaque eburnea
 23 cantare sumet ? Quis politae
 24 indolis ingenique acumen,
 25 expendet apte ? Quinque tui sonis
 26 discrimina oris, dum loqueris cate
 27 scribisque docte, notiorem
 28 reddere amant. Proprius tibi usu
 29 sermo Britannus, Teutonus, Italus,
 30 Bohemus, et qui te celebrem facit
 31 Latinus. Aures o beatas
 32 organica fide quae canentem
 33 et spiritali suaviter audiunt
 34 sonore ! Felix qui fruitur tua
 35 praesens loquela, carminumque
 36 illecebris quibus ipsa inescas
 37 mentes legentum ! Me quoque Pythio
 38 lepore captum vinnula detines
 39 tuisque Musis. Nunc ephebus
 40 esse velim, juvenisve caelebs ;
 41 ambire talem (credo) Poetriam
 42 proco liceret. Ne mihi tu fores
 43 quod Polla Lucano, et Tibullo
 44 Delia, Sulpiciae Caleno,
 45 Stellaeque Ianthis, Claudia Surculo
 46 fores, quod Elpis docta Boethio ;
 47 quod Laura Petrarcae, Beatrix
 48 Aligero, Angelica Ariosto,
 49 suoque Gruntlero optima Olympia.
 50 Dicant poetae Westoniam, quibus
 51 concessa facundis potestas
 52 dulce caput propius tuendi.
 53 O si locuples Juno faventior
 54 largas et ultro divitias tibi

55 donaret ! At quid, Jana, fluxas
 56 divitias loquor, et caducas
 57 opes ? Ab aulis hae veniant quidem
 58 magnis oportet. Munera Caesarum,
 59 Regumque nonnumquam potentum
 60 efficiant homines beatos,
 61 queis astra rident si genesin notes ;
 62 Jovisque sidus, Lunaque prospera
 63 domo in secunda laetiores
 64 Zodiaci positus figurant.
 65 Verum quid isthaec ad bona pectoris,
 66 cultusque mentis, praedita queis nites ?
 67 Externa si fors comparemus
 68 dotibus ingenii elegantis,
 69 externa cedent pol melioribus.
 70 Tuque ipsa certe nobilis es domi,
 71 et gente clara procreata.
 72 Clarior inde celebriorque
 73 per scripta multo nobiliorque eris,
 74 mirum in modum quae cernere gestio
 75 excusa formis : quin vel ipsam
 76 te potius, vel aprica saltem
 77 pigmenta fili, per graphicam manum
 78 delineati. Talia sed reor
 79 Martinii (cui calcar addo)
 80 sint operae, studiique paulo
 81 post exhibendi. Pisnitii jubet
 82 Majique virtus hoc opus edier
 83 claras in auras. Quantum in ipso
 84 me est, ego suspiciam, colamque
 85 te, sidus ortum caelitus. Interim,
 86 signata virgo, versiculos meos
 87 vultu sereno sume, nostri
 88 perpetuum monumentum amoris.

@ EIUSDEM MELOS IN POEMATIA WESTONIAE.

P3_012 v.1 Virginei labores
 2 emedullati studio Westoniae Minervae,
 3 in manifestiorem
 4 ite cum plausore diem. Nam Genium faventem
 5 undique sentietis.
 6 Lecta vos candore cohors, vos manus erudita
 7 excipient libenter.
 8 Vos legent acres pueri, vos alacres ephebi
 9 nocte dieque volvent ;
 10 nectaris vivos latices, ambrosiaeque succos,
 11 mellaque delicata
 12 inde sumpturi, cupido delicias palato.
 13 Quin et adultiores
 14 his inescati illecebris vix sibi temperabunt,
 15 quo minus aestuosam
 16 expleant de fonte sitim Castaliae scatebrae.
 17 Vos in honore tanto
 18 paginae dulces eritis, Caesar ut ipse magnus

19 perlegere expetiscat,
 20 Imperi curis variis quamlibet occupatus.
 21 Nemo erit omni in aula,
 22 nemo in Europae gremio, cui nitidi libelli
 23 non fuerint amori
 24 nemo erit, qui non penitus noscere te flagrabit,
 25 o sapiens Elisa,
 26 et sagax et mente valens, ante alias pueras
 27 in viridantis aevi
 28 flore. Quo circa fruitor liberiore fama
 29 nominis, ac recenti
 30 gloria, porroque operum reliquias tuorum,
 31 collige in unum acervum,
 32 ut suo prelum subeant tempore. Jam Triumphus
 33 est tibi partus unus,
 34 laude cum multa, et titulis haud tibi paenitendis.
 35 Mox alius, sequetur,
 36 qui deas supra faciet laude celebriorem.

ANNO M.D.C.I. Die XIX Novemb.

© EIUSDEM P. MELISSI FRANCI ETC MELOS. AD G. MARTINUM A BALDHOFEN.

P3_013 v.1 Commendare jubes me bona carmina
 2 doctae Westonidos. Quod merito bonum est,
 3 se commendat id ipsum
 4 nec praeconibus indiget.
 5 Vino vendibili nil hedera est opus
 6 suspensa ; nec habet laus aliena plus
 7 in se ponderis olim,
 8 quam cui propria laus ea est,
 9 ac condignus honos. Aonides novem,
 10 ac ternae Charites, Pallas et Attica,
 11 et facundia Pithus,
 12 unam Westoniam penes
 13 conjunctis habitant sedibus ; et suas
 14 illi divitias largiter exhibent,
 15 et praesignia dona
 16 queis (sic auguro) Virgini
 17 nomen perpetuum conciliabitur.
 18 Si quid nostra quiit Musa virilior
 19 jam perfecit abunde
 20 plectris Alcaici soni.
 21 Tu qui flava colis flumina Vultavae,
 22 Martini Clariis addite coetibus,
 23 dias profer in auras
 24 Nymphae tersa poemata,
 25 curae primitias : pluribus ut dehinc
 26 auctor, quam penito diligo pectore,
 27 innotescat in oris,
 28 almae compos adoreae.
 29 Quod si praeterea forte reflagitas,
 30 ut quo candidulam munere virginem
 31 ultro praevius ornem,
 32 quod sit mnemosynon mei :

33 ecquid nam fieri consueris, nisi
 34 ut Parnassiaca frunde politulae
 35 cingam tempora Vati
 36 aeternum viridantia ?

@ DE ELISABETHA IOANNA WESTONIA ILLUSTRI VIRGINE.
 G. MARTIN A BALDHOFEN SILESIUS AD PAULUM MELISSION. FR.

P3_014 v.1 Commendare tuis Westonium melos
 2 sumsisti numeris. Quod meritae decus
 3 dignum talibus ausis,
 4 dignum Virgine nobili.
 5 Dulce et decorum est Westonidem suis
 6 amplecti radiis : quae genialium
 7 ad paeonia honorum
 8 Deli suscitat incolam.
 9 Immortale plagis num decus ultimis,
 10 circumscrabit ? Uti plurima pars sui
 11 inter conscientia famae
 12 sistit sidera limites ?
 13 Dum multi properat nominis ordinem
 14 cartis inserere, et concilio novem
 15 ternarumve Sororum
 16 longo intacta silentio.
 17 Rimatur querulae Melpomenes sinum,
 18 arcanique aditum pectoris arguit :
 19 multis callida linguis
 20 Pithus vincere gratias.
 21 Res est, mellifluos ducere nectaris
 22 succos ? Docta modos, et citharae sciens,
 23 spirat balsama flores
 24 mellito sapit osculo
 25 tigres et comites flectere populos
 26 et rivos rapidos in scopuli modum,
 27 novit mira morari
 28 et perrumpere duria
 29 linguae blanditiis saxa potentius
 30 irritat placidi vim Zephyri : feras
 31 vires continet Euri,
 32 quo non arbiter asperi
 33 sit Ponti potior. Cedet amabilis
 34 Rudolphi bonitas Caesaris anxiis
 35 (quod certo auguro) votis ;
 36 quamvis muniat invium
 37 curarum series imperialium
 38 pectus, tergeminis et Scytha cladibus.
 39 Testor vota, repulsae
 40 vota indigna novissimae !
 41 Rumpunt sidereas illa per areas,
 42 quin ad fluminum denique provocant
 43 indefessa tribunal,
 44 effecta ut mereant suum.
 45 Heroi repetam robora pectoris,
 46 quae praeter solitum feminii chori
 47 clarant dudum animosam,

48 infesto aequa negotio
 49 mens laetam quoties exserit indolem ?
 50 Si firmat rigidam dira necessitas
 51 arta valle columnam,
 52 sortiturque trabaliibus,
 53 et Matrem et Subolem legibus, invicem
 54 eradunt elementa illacrimabilis
 55 laeto carmine luctus
 56 et duri faciem status.
 57 Matrem perpes alit caelici amor cibi,
 58 doctam adversa Deo credere nec modum
 59 figit spebus inertem,
 60 tentatisque laboribus.
 61 Quam nec murmura, nec praecipites minae,
 62 nec rerum variae lautitiae probi
 63 coepti nempe tenacem
 64 curvant. Illa suas agit
 65 partes. Interea dulcacidos lyrae
 66 festive modulos Westonis applicat,
 67 et facunda ministrat
 68 plenis carmina rivulis.
 69 Dulci sollicitis docta periculo
 70 Phoebi suppeditat tela vicariis
 71 et magmenta laborat,
 72 largae illustria adoreae.
 73 Livorum arbitrium si popularium
 74 laxat signa suo diribitorio,
 75 ridet vana loquacis
 76 blandim murmura gutturis.
 77 Hoc est, flebilior quod docet orbitas,
 78 suspendens docili de scapula jugum !
 79 Talis munere felix
 80 naturae est pia Westonis.
 81 Olim digna suae sit patientiae
 82 merces, quod placidam se gerat invidis.
 83 Virtus nulla colonum
 84 claudio deseruit pede.
 85 Jam nec Sosipatrae splendet inutilis
 86 conatus nec honor dat Lalagae locum :
 87 nec se nostra minorem
 88 vates vatibus exhibet.
 89 O Virgo, proavis nobilis inclutis,
 90 seu me laude moves, seu querimoniis,
 91 me totum tibi dedo,
 92 instantem obsequiis tuis.
 93 Quocumque egregias nomine imagines
 94 servas, Pindarica digna cani lyra,
 95 audenti mihi magnos
 96 mirari titulos libet !
 97 Sed quo, Musa, rapis ? Desine grandium
 98 insueti strepitu pectinis. Explicat
 99 Francus grandia Cygnus,
 100 qui famam sibi subjugat.

@ AD ELISABETHAM IOANNAM WESTONIAM
EX EPIGRAMMATIS MAGNIFICI AC NOBILISSIMI VIRI DN. NICOLAI MAII

P3_015 v.1 Quas tibi pro votis et docto carmine grates
 2 o animi requies, dulcis Elisa, feram ?
 3 Pro votis votum, pro carmine carmina reddo,
 4 in te judicii signa probanda mei.
 5 Accipe ; meque tuis ita crede favere Camenis,
 6 ut maneam cultor nominis usque tui.
 7 Fide Deo, pariterque fidem virtutibus orna,
 8 inque tuo constans fac facienda loco.
 9 Teque tuosque Deo, precibus committe, benignam
 10 illius exspecta spe patienter opem.
 11 Adsit, adest, aderit per vota Jehova rogatus ;
 12 omne, quod ex usu viderit esse, dabit.

@ EADEM MAII AD EANDEM.

P3_016 v.1 Quod gemis et tristem luges, mea filia, casum,
 2 quem nuper morbi vis inopina tulit ;
 3 non indigna facis vera virtute ; dolorem
 4 testaris, fatum commiserata meum.
 5 Perge, nec ex animo Majum depone : vicissim
 6 debitus ille tui fautor honoris erit.
 7 Si tamen et quid agam curabis, gratia summi
 8 Numinis incolumem me superesse sinit.
 9 Paene tuus stygias (o Parca !) redactus ad umbras,
 10 subducto vitae lumine Majus erat.
 11 Horrida nunc caeci superavit claustra barathri,
 12 expertus medici vivificantis opem.
 13 Jhova meos posthac vitae sic dirigat actus ;
 14 ut prober exemplo Candidus esse meo.
 15 Et quia me salvo tibi Phoebus ab aethere ridet ;
 16 Calliope hilari plectra resume manu ;
 17 Calliope, cui victa sacram locat Atropos aram,
 18 carminibus fiant mitia fata tuis !

@ EIUSDEM MAII IN EFFIGIEM WESTONIAE.

P3_017 v.1 Jana omni potior, Westonia virgo, figura,
 2 artificis docta pingitur ecce manu.
 3 Ingenium, pietas, virtus, industria, Musae,
 4 virginis et mores absque colore nitent.
 5 Si videoas Musas, decima est soror addita Musis ;
 6 candida si spectes pectora, quarta Charis.

@ AD EANDEM WESTONIAM
IOANNES LEO ISEN. CAUSARUM IN AULA IMPERIALI PATRONUS.

P3_018 v.1 Elisabetha decus terrae praelustre Britannae,
 2 nymphaque Pierio nobilitata choro ;
 3 quarta Charis cum sis, cum sis Venus altera forma,
 4 non minor hac, illa non minor arte dea.

5 Quinque etenim calles rerum lepidissima linguas,
 6 et Latiis ornas verba diserta modis :
 7 jure tuo non jure suo, natalia lucis,
 8 tempora concedit, Parca secunda tibi.
 9 Nempe tua ut reliquae capiantur ab arte puerilae
 10 et studeant Phoebi castra beata sequi !
 11 Rara puerarum haec virtus Germanidos orae.
 12 Immo tuis certat nulla, vel una, metris.
 13 Ergo Britannarum celeberrima diva dearum
 14 Mathusalemaeos Westoni, vive dies.
 15 Ut tua per totum divulges nomina mundum,
 16 et sis Phoebicolae pars generosa chori.
 17 Illustri lumen generi fulgentius affer,
 18 dulcibus ingenii suspicienda bonis !
 19 Auguror evenient metricis tandem omnia votis,
 20 nec minus in laudes ibit Apollo tuas.
 21 Grande tuae pretium pietati Numina debent,
 22 grandia virtuti praemia debet honor.
 23 Hactenus haec. Sed opus sollemnibus ? Accipe suetis
 24 pro nodis metricos Elisabetha modos.
 25 Accipe, quo spectas Heliconis numina, vultu
 26 versiculum. O, redeant hae tibi saepe dies !

@ AD EANDEM DANIEL HEINSIUS GANDENSIS.

P3_019 v.1 Nescio quid nostrae properabant ire Camenae,
 2 et solito levior blanda Thalia fuit.
 3 Obstupui primo, nec erat cognoscere causam,
 4 nec potui mentis conscius esse meae.
 5 Hoc erat : ibat ovans ad te, Westonia virgo,
 6 Musa puerilari suscipienda manu.
 7 Nympha, suum numerum tu non sinis esse Camenis :
 8 scilicet aequales tu facis esse Deas.
 9 Crescere quis nostras, sperarat posse puerillas,
 10 aut aliquid majus post Helicona sequi ?
 11 Instituit primum placidas Boeotia Musas :
 12 explevit teneras Anglia vestra Deas.
 13 Sis facilis Thymbraee : tibi soror altera nata est,
 14 Nata tibi soror est, altera Musa mihi.
 15 Est aliquid, sterili quod non licet esse Poetae,
 16 et faveat Musis altera Musa meis.
 17 Quid mirum est ? Placidis Dea praesidet illa Camenis,
 18 Musaque cui properat nostra, Camena fuit

@ AD EANDEM WESTONIAM. G. MARTIN A BALDHOFEN, SILES.

P3_020 v.1 Sic te fausta piis tueantur fata camenis,
 2 et tribuant Musis saecula sera tuis !
 3 Pecco, tuae libo quia forsitan aromata laudis,
 4 et doctas tenui carmine pulso fores.
 5 Ipse equidem fateor (qua vera edissero) culpam :
 6 illa tamen causas est habitura suas.

7 Nam celebres siquidem tua nomina, fama per urbes
 8 buccinat, et plenis per nemus omne tubis.
 9 Saepe meas eadem titillat honoribus aures :
 10 et mihi, cur tibi sic vox mea surdet, ait ?
 11 Quid faciam ? Divae rapiunt me nomina vatis,
 12 ne valeam calamos continuisse meos !
 13 Ergo tuis merito devotas laudibus aures
 14 mancipo et ingenii dona reposta mei.
 15 Prisca suam memorent per fastos saecula Sappho :
 16 a primis primum nostra mereris opus.
 17 Quippe metri superas numero ; victrice triumphum
 18 ingenii dotes dexteritate canunt !
 19 O vatum palmare decus, cui militat aether,
 20 et coeptis fabricat prospera quaeque tuis.
 21 Forte Novenarum monumenta subacta vetustas
 22 evehit, et Phoebi somniat esse chorum ?
 23 Audite, o socii, visumque tenete poetae ;
 24 frustra mortales arguit illa deas !
 25 Decessere omnes ; nec in orbe superstes, ad unam
 26 quam celebro, nomen praeter inane, viget.
 27 Nulla sacrarum audita mihi, neque visa Sororum
 28 pace tua dicam, Teutobritanna ; dea es ?
 29 Non dea : sed domitis sedes sacrata deabus,
 30 Hesperio potior Castaliove solo.
 31 In facie Charites resident in pectore Musae ;
 32 mille pedem Veneres, articulosque movent.
 33 Mentior, an reliquias ducis regina ministras ?
 34 Ducas ; et ad nutum stat Dea quaeque tuum.
 35 Non igitur falso comites dixere Prioress,
 36 quando suam famulae te comitantur heram.
 37 Flore sorte tua Regina poetria ! Famae
 38 praeco lubens posthac obsequiosus ero.
 39 Non moror errorem, siquidem tentandus, honestum :
 40 dum modo sola faves, si quid oberro : fave.

@ IDEM AD EANDEM.

P3_021 v.1 Ut vidi, melicæ stupui meletemata vatis,
 2 quae me per numeros surripuere mihi.
 3 Ordinar ? At quales implorem carmine Musas ?
 4 Quis mihi nunc dignum suppeditabit epos ?
 5 Ordinar. At si tu spondes, Venus Angla, calorem :
 6 tu mihi Melpomene, tu mihi Phoebus eris !
 7 In me dispositis descendō motibus, extra
 8 me positus : sine me, quam sine mente, loquor.
 9 Es dea. Nam dum te compello absentibus, ambis
 10 absentem resonis proxima ubique modis.
 11 Eque humili pectus mihi tramite tollis, et inter
 12 aetherias sistis virginiasque deas.
 13 Quod loquor, et facili ludo modulamine ; linguam
 14 tu mihi, tuque animum cum ratione moves.
 15 Quippe quod ante gravis conatu cura negasset,
 16 nunc lectu levius, nunc merus esset amor.
 17 Dum spiras, Geticos in castra ciebo tyrannos,
 18 immo adigam vacuas caedis amare manus.

19 Quin etiam iracunda Jovis tu fulmina et iras
 20 arguta facilis nosti inhibere lyra.
 21 Sola per immensam praestas miracula terram ;
 22 miretur vires ut vir in arte tuas.
 23 Cur igitur meliora tuis petis otia Musis,
 24 quas vatum superas pectora, vimque Dei ?
 25 Posce Deos, o Diva ; Dii tua jussa capessent.
 26 Invitum invitatis ad tua vota Jovem.
 27 Aura favet, favet aula tibi : tibi cetera cedunt,
 28 plausibili causae victa tenore tuae.
 29 Tempus erit, generosa tuae quo insignia famae
 30 carminibus, fidibus, compita, templa, ferent.
 31 Ipse ego servitiis proclivis plectra movebo ;
 32 perpetuaeque memor laudis et auctor ero.

@ IDEM AD EANDEM.

P3_022 v.1 Elisabetha, meae pars, quam colo, magna Camenae,
 2 et decus et generis vivida fama tui.
 3 Accipe sollicitos, quam frons notat, aure precatus :
 4 seu me opera dignum, sive favore putas.
 5 Cum socio ad Veneris ducenda est Margaris aram,
 6 gratior Hesperidum nempe sorore Soror.
 7 Quam si sola tuo dignaris carmine, Musas
 8 et frustra Charites ad sacra jura voco.
 9 Omnes quippe una tu versu concipis uno.
 10 Cypria quem tenero signet in unguiculo.
 11 Ergo age mitte tuas, quas non capit orbis alumnas :
 12 te quoque ad has thalami transfer amica faces.
 13 Sed quia nemo capit, quam non capit orbis, amicam,
 14 ni captus fuerit a capiente prius ;
 15 cur miser ad sponsae sacra te voco festa sororis ?
 16 Pro studiis captum me tibi reddo tuis !
 17 Dii me ! Si caperer versuque potirer Elisa,
 18 faustior in patriam rege reversus ero.

@ IDEM IN EIUSDEM EFFIGIEM.

P3_023 v.1 Westonis ad vivum si non expressa, favebis,
 2 qui melius posset pingere, nemo fuit.
 3 Suada, Venus, Charites lingua testantur in una :
 4 qui posset linguam pingere, nemo fuit.
 5 Pectora alit pietas. Virtus, Musae, incola Phoebus ;
 6 pectora qui posset pingere, nemo fuit.
 7 Omnia plena Deo ! Nihil hic mortale ! Figuram
 8 quae talem caperet nulla tabella fuit.

(@ ?) WESTONIA DE SEIPSA LOQUITUR.

P3_024 v.1 Me diversa suam sibi natio vindicat, unum
 2 cui vix concedunt invida fata locum.
 3 Anglia avos numerat Germania nostra nepotes :
 4 illa dedit cunas, haec documenta, lares.

5 Gallia linguarum commercia, et Itala jactat,
 6 et varias rerum terra Bohema vices.
 7 Siccine Maeonio certare puella poetae,
 8 et meritae posset laudis habere decus ?
 9 Posset, et ingenio summos superare labores,
 10 dum modo perversae cederet ira deae.
 11 Nam quod ita invitam per fata ferocia vitam
 12 duco, parum Musis mortua vivo meis.
 13 Quid juvat omnimas tandem didicisse loquelas ?
 14 Ut valeam casus enumerare meos !
 15 Quid Cytherea prosunt, Phoebo praeeunte magistro ?
 16 Ut refricem viduae vulnera Melpomenes !
 17 Praestaret miserias numquam coluisse Camenas ;
 18 quam didicisse sui incommoda sola mali.
 19 Sed frustra querulae repeto discrimina vitae,
 20 quas me plus nimio dissimulasse, fuit.
 21 Sustineo, quantum muliebria pectora possunt ;
 22 hinc tamen ingenii sentio damna mei.
 23 Pessima damna, meae multum nocitura saluti,
 24 fatales etiam complicitura dies.
 25 Ergo meis veniam non abnuet invida fatis
 26 turba, supercilio semper iniqua suo.

© AD DN. ELISABETHAM JOHANNAM WESTONIAM ANGLAM POEMATA SUA EDENTEM.

P3_025 v.1 Te quoties video, quoties tua carmina lectis
 2 texta lego verbis plenisque haerentia nervis,
 3 miror, Elissa, tuum toties, Westonia, sexum :
 4 non equidem tantas prodentem in publica vires
 5 lumina, (quippe celer capit et facit omnia vester
 6 sexus et arguta superat virtute virilem)
 7 sed quia projectis nugalibus, ardua quaeris
 8 et calcas animo ingenti vestigia rerum ;
 9 nec te deductae cunis muliebribus artes
 10 per levia abripiunt studia ad damnosa sequacem,
 11 (quod proprium innumeris est nostri dedecus aevi)
 12 quin bona semper agas, valeasque velisque vicissim,
 13 tota animis vires, animos et viribus aequans.
 14 Expertus loquor, atque tuum testem invoco Librum,
 15 qui fortunatus modo te duce prodit in auras
 16 bellorum obscuras nebulis ; sed prodit, ut atrum
 17 discutiat, niveumque reducat in astra colorem,
 18 i liber, et genio conformem acquirito Famam.